
875.6
G89e

Gronovius Johann Friedrich

JOANN. FRID. GRONOVII
EPISTOLAE XXXVII

AD

FILIUM SUUM JACOBUM

NONDUM EDITAE.

COLLEGIT ET NOTAS ADJECIT

AL. M. HARTER,
Universitatis Monacensis Bibliothecarius.

LANDISHUTI MDCCCXXXV.
Sumtibus ac typis Josephi Thomann.
(*Joann. Nep. Attenkofer.*)

Praefatio.

Anno 1785 Lugduni Batavorum reliquiae bibliothecae Abrahami Gronovii haſtae ſubjectae ſunt. Praecellebat haec bibliotheca manuſcriptis, inter quae epiſtolae eminebant, quum Gronoviorum ad ſe invicem, tum virorum hujus aevi clarorum ad Gronovios datae. Quarum quidem accuratum indicem praebet catalogus, qui Lugduni Bat. 1784 in publicum prodiit, et a pag. 8 — 15 ſpeciatim eas numerat.

G. W. de Zapf Auguſtanus, a conſiliis intimis, hunc epiſtolarum theſaurum ſibi acquirere flagrantiſſime cupiverat; cujus quidem voti quominus compos fieret, curta impedivit ſupellex. Attamen quod per ſe non potuit, id tentavit per alium.

Monachii tunc temporis ſuperbam librorum collectionem habuit Dom. Hepp, civitatis Conſul, qui qualibet data occaſione eam locupletare ſtudebat. Viro igitur huic litterarum omnis generis fautori eximio, ſimulque copiis circumfluenti, Zapſius commendavit hasce reliquias, isque amici votis obſequentiſſimum ſe praebuit et pro 500 florenis hollandicis eas redemit.

Ab illo tempore praeclarae iſtae reliquiae latuere in loco adeo madido, ut dubium non eſſet, quin brevi putreſcerent. At forte fortuna earum ſervator exſtiti.

Etenim earum pretium quum cognoviſſem, et facile intellexiſſem, quae ſors hoc ſqualido in angulo eis immineret, hoc potiſſimum egi, ut epiſtolas hasce bibliothecae Univerſitatis noſtrae acquirerem, quod eo facilius contigit, quo magis poſſeſſor ipſe optabat, ut potior collectionis ſuae pars in poſterum conſervaretur. Singulas nunc temporis mei horas tum in inveſtigando, quid quaelibet epiſtola contineret, tum in ſecernendis litteris dignis, quae emitterentur, poſui.

At quantum deliciarum perluſtratio praeclari hujus epiſtolaris commercii mihi prae

buit, tantum difficultatis erat in eligendis potioribus, cum fere omnes et materiae gravitate et puritate fermonis publica luce adeo dignae vifae effent, ut, quid prius feligeretur, haefitarem. Interim felegi, quas dedit pater ad filium ab anno 1662 — 1671, quas fequentur illae Joannis Frid. Gronovii ad fratrem Laurentium, apud quem filius Jacobus annis fupra nominatis moratus eft.

Quae fi benevole excipientur, paulatim etiam reliquae fubfequentur. Omnes omnino epiftolas hasce ineditas adhuc effe, vix eft, quod dubitem; fedulo enim perluftravi, quidquid in hoc litterarum genere nobis fubfidii eft, et quod bibliotheca Univerfitatis noftrae, fi qua alia, fatis fuperque fuppeditat.

Omnes confului epiftolarum collectiones, quas Germania et finitimae regiones adhuc dederunt. Biographias omnes, quae huc quidquam facere poffent, perfpexi et nil intentatum reliqui, quod ad rem pertinere vifum effet. Quodfi vero, cum fcire noftrum res imperfecta fit, una alterave harum epiftola fortaffe prelum jam fubiit, gratus accipiam, modo honefte corrigar.

In illorum gratiam, quibus hiftoria litteraria non adeo familiaris eft, ut, quanta

ſint inter doctos Gronoviorum nomina, eos bene ſcire ſumere poſſimus, brevem Joan. Frid. et Jacobi vitae epitomen dare placuit.

Joannes Fridericus Gronovius 1611 Hamburgi natus, ſtudiorum fundamenta Bremae et Hamburgi poſuit. Juris prudentiae operam dedit Altdorſii. Hamburgi amicum habuit Hugonem Grotium, quocum largum poſtea epiſtolarum conſortium. Profectus per Germaniam, Italiam, Galliam, et Angliam, Daventriae hiſtoriarum et eloquentiae Profeſſor conſtitutus eſt. In hoc munere excelluit doctrinae copia, ingenii acumine et indagandi felicitate, et id, quod majus eſt, omnium animos ſua ſibi humanitate conciliavit. Edidit Livium, utrumque Senecam, Salluſtium, Plinium et Plautum cum commentariis, qui propter profunditatem et claritatem hodieque aeſtimatione digni habentur. Anno 1653 vocatus eſt Lugdunum Batavorum in locum Boxhornii et Dan. Heinſii, ubi 28. Dec. 1671 ſexagenarius obiit. Quamquam bibliothecae noſtrae regia et academica in hoc epiſtolico litterarum genere abundant, deſideratur tamen editio epiſtolarum Jacobi Gronovii, quae prodiit Amſtelodami 1678, quam etiam in aliis bibliothe-

cis fruſtra quaeſivi, ut, an revera exſtet, dubitarem, niſi catalogus bibliothecae Bunavianae, qui mihi omni exceptione major eſt, ejus mentionem faceret. Siquis forte hujus libri exemplar pro juſto pretio bibliothecae noſtrae poterit procurare, ei gratiſſimum me, paratiſſimumque praebebo.

Filius ejus Jacobus, vitam ingreſſus Daventriae 1645, prima rudimenta a patre accepit, poſtea Lugduni eruditus univerſitates Oxonienſem et Cantabrigienſem frequentavit, et reverſus in patriam nominatus eſt ad cathedram, quam recuſavit; deinde in Galliam, Hiſpaniam et Italiam profectus eſt, ubi Florentiae inprimis, Piſis, Venetiis et Paduae moratus et a Coſmo de Medicis, magno Hetruriae duce, plurimi habitus eſt. Piſis pro largo ſtipendio 500 aureorum Profeſſor creatus vix ultra annum eo munere fructus eſt, cum rixoſa ejus indoles omnium animos averteret. Reverſus in Germaniam Lugdunum reviſit et 1679 vocatus ad cathedram litterarum humaniorum 1716 aetatem implevit 71 annis.

Eruditio in eo profundior, quam in patre, praedicatur. De archaeologia et ſtudiis claſſicis multa praeclareque meritus eſt.

Teste Cl. Wachlero »war er rüstig im Forschen, Sammlen und Streiten.« Thesaurus antiquitatum graecarum, Macrobius, Polybius, Tacitus, Pomponius Mela, Ammianus Marcellinus, Curtius, Suetonius, Herodotus etc. tantam Jacobo pepererunt famam, ut ejus memoria in orbe litterato nunquam sit interitura.

Hujus Jacobi Gronovii Epistolas LX ad Ant. Magliabechium in clarorum Belgarum ad A. M. nonnullosque alios Epistolis Florentiae 1745, Tomo II. p. 1 — 234 Joannes Targionius dedit, quarum responsa nostra collectio conservat, easque in primis edi curassem, nisi mala Magliabechii manus me ab opere hoc difficillimo deterruisset.

Jam, benevole lector! primitias hasce benigne excipe, meque, si merear, ad tuum numerum adscribe.

H.

I.

Bonae ſpei adoleſcenti Jac. Gronovio

te Deventer ten huyſe van de Rentmeeſter Nylandt in de Engeſtraete.

XVI Cal. Sept. 1662.

Ὁ πάτηρ τῷ υἱῷ χαίρειν.

Gaudeo vos incolumes perveniſſe et agere. Quae commemoras ὠταλγικά, id utile ſtomachi tui exercitium puta, qui adſuefaciendus eſt ad hujusmodi multa concoquenda. Plena eſt iſtorum vita. Deo et conſcientiae omnibus modis ſatisfaciendum eſt*): quod ſi teneamus, leves ſunt ducendae hominum, praeſertim imperitorum, iniquitates. Ego ut malim te tui commodi cauſa mecum eſſe et ſtudiis incumbere, ita matri repugnare non poſſum. Nec deerunt libri tibi, ſi quas horas utiliter occupare velis. Potes a quaeſtore Nilandio vel a Terboxde petere commodato Excerpta Plautina aut quid ſimile: potes ab eodem vel ab Hogerſio Juſtinum vel Florum vel Ovidium, in quo lecta vel audita repetas. Miror te verbo non addidiſſe, ubi vel ſimul vel ſeorſum diverſemini. Fratres Jordani cum uxoribus biduum mecum fuerunt, comiter excepti: inde profecti in Brabantiam: unde quotidie reduces exſpectamus. Saluta ſalutandos, inprimis matrem. Hic Dei beneficio omnia ſalva. Lugduni eodem quo tuas accepi. XVI Cal. Septembr: ſive XVII Auguſti Gregor. 1662.

---

*) Solche Lehren wenn unſere Söhne von ihren Vätern öfter erhielten, oder gar den lebendigen Ausdruck davon in ihrer Lebensweiſe fänden, würde es gewiß bald erfreulicher um unſere Jugend ausſehen, und wir könnten weniger bedenklich auf die pädagogiſchen Experimente hinblicken, die man alljährig auf eine andere Manier mit ihr vornehmen zu müſſen glaubt, um ihr ja recht begreiflich zu machen, daß man den Stein der Weiſen noch nicht gefunden habe.

II.

Ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ χαίρειν.

Bene habet: grates Deo immortali, quum ſalvus ad incolumes perveniſti. Nauſeam et vomitus ſpero pro medicinis tibi fuiſſe et corpuſculum recreaſſe. Nunc vide omnibus ut agnatis et affinibus indolem et mores tuos approbes, et conſuetudinem tuam nemini non jucundam et ſalubrem praeſtes. Ante omnia Deum ſemper praeſentem puta, et indulge precibus, non modo ſtatis temporibus, ſed et ſubinde vel ſolus vel aliud agens, ſuſpiriis aliquot pro te proque nobis ad illum ingenii, ſalutis et omnium ἐάων datorem miſſo(is). *Περὶ τῆς μητρυιᾶς* cave quicquam ſecus loquare. Omnem juvenilem laſciviam procul habe et in ſermonis disputatione noli quemquam convincere, qui id aegre laturus eſt. Denique quod Terentianus Simo de ſui Pamphili facilitate*), tibi dictum putato, et nemini ullo modo moleſtus eſto. D. Lucas Langermannus communicavit mecum excerpta ex Codice Helmſtadienſi ad primam decadem Livii. Iis adſcripſit nonnunquam lectionem diverſam ex alio, quem tantummodo appellat MS. Salutatum meo nomine peramanter atque officioſe rogabis, quis ſit ille MS. alter, utrum etiam Helmſtadienſis, an viſus alibi. Nos etiamnum divina clementia valemus: ſed publica vaſtitas nondum

---

*) Die Stelle, auf welche der Vater hier hinweist, möchte wohl seyn:

Sic vita erat: facile omneis perferre ac pati;
Cum quibus erat cumque una, iis ſeſe dedere;
Eorum obſequi ſtudiis; advorſus nemini:
Nunquam praeponens ſe illis. Ita facillume
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.

ſaevire deſinit *). Ante quatuor ſeptimanas 117 urbani in rationes Libitinae venerunt: tertia 113: proxima 130. Extra hunc numerum ſunt, qui e noſocomio elati, interdum 20, interdum 30. Dictum, quod te momordiſſe ſcribis, parum intelligo: ſed debes pati ſuum cuique judicium eſſe; ob ea, quae tibi bene fiunt, te gratum praeſtare. Si in Sciaſſium et Gudium incides, et ſerio agere videbuntur, non invideo, quo minus te illis des comitem, ita ut ſumptum refundam; ſin intelliges, humanitatis tantum verba eſſe, cave cuiquam te obtrudas invito. Vale et recte te gere, et ſaluta a me omnes diligenter, inprimis venerandos ſenes, et patruum tuum cum uxore lectiſſima. Lugduni, nonis Sextilibus Gregor. CIↃIↃCLXIV.

III.

Bonarum artium Studioſo Jac. Gronovio, Hamburgi etc.

Ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Accepi et poſteriores tuas, non tamen tam exſpetas, quam quas ad primas debes meas. His opperiendis crucior, et miror, quid te diligentiam tantam profeſſum, ſubito reddiderit ſegniorem. Neque enim, ut cum Gudio et Sciaſſio te in viam dares, ita fuit ſubitum, ut de eo me monere non potueris. Terret etiam, quod illic quoque graſſari contagionem comperio: quod quomodo ſe habeat, fac ex proximis tuis diſcam. Hic etiamnum gliſcit malum. Caeterum nos Deus opt. maximus

*) Die Stadt Leiden hatte erſt im Jahre 1635 durch die Peſt 20000 Menſchen verloren.

adhuc incolumes praeſtitit. Uxor rediit. Placet autem inſtituti tui in ſcribendo ratio: et avide cognoſco, quicquid in ſermonibus quotidianis non modo penes propinquos (de quibus ſingulis volo aliquid quantulum etiam cumque nunties) ſed etiam apud alios, in quos incidis, audiſti: ne, ſi omnia differas in reditum tuum, magna pars memoria exciderit. Philippus Fontanus M. συμφοιτητὴς tuus, ut mihi dictum eſt, illic moratur: ſi videre vis, apud Paſtorem Altenenſem gentilem ejus requires. Fac memor ſis mandati humani de Lubini Face poëtica. Si offeretur tibi Müntzſpiegel, daß iſt, ein neww Vndt wol aufgeführtes bericht von der Müntz ꝛc. ꝛc. durch Tilemannum Frieſen, Francfort am Main 1592, in 4°, mihi emes. Vale et ſaluta ſalutandos. Lugduni a. d. XIV Cal. Septemb. CIↃIↃCLXIV.

IV.

Pio et probo adoleſcenti Jac. Gronovio, Hamburg ꝛc.

Pater filio S. P. D.

Quid vis auctor ſim tibi? quid jubeam? Equidem cupio te reverſum videre, et ſi patiaris elabi Burchardum, haud ſcio an quemquam tam fidum comitem ſis inventurus. Sed, ut adhuc ſe dant nobis hic tempora, quos alioqui vehementer volo tecum proficere, fratris et ſororis filios nondum deſidero propter et metum parentum et meam ſollicitudinem. Interim feriae abierunt, ſed rari etiamnum apparent ſtudioſi, nec credo operas ordinarias indictum iri, antequam praeterierit mer-

catus Falcoburgenſis. Tu ipſe videas oportet, quid tibi faciundum putes: in qua deliberatione et iſte calculus ponendus, ne cognatis ſis gravis: quod ſi animadverteris, equis, velis. Quae praeceſſit proximam hebdomas, quaſi ad ducentos; proxima ſeptem minus Libitina numeravit. Fr. Helmium putabam ante tuum diſceſſum jam domum veniſſe: ego certe poſtea illum non vidi, ut non potuerit ille quicquam ferre, quid de te conſtituerim. Nec quid conſtituam, ut dixi, certum habeo. Te vellem hic eſſes, conſobrinos tuos nondum. Palpare Burchardo, ſi poteſt teneri, donec poſt paullo una omnes decedatis. Illum Bern. appellatum parum novi. Ingenium videtur fuiſſe non ἀφυές: an et ſtudiis maturuerit, dubito. Synopſes illae quales fuerint, parum reminiſcor: cum reſpondebis, ultimi duntaxat libri, quorum habetis, exemplum appone: et videbo, ut fratri ſerviam. Francius noſter quia Propempticon ſe tibi ſcripturum promiſerat, quod vides, ad me miſit. Audivi poſtea ſororem ejus ſaeva lue deceſſiſſe, ut ſit etiam, quod pro tam caro Muſis capite timeamus. Ubi rurſum ſcripſeris, fac nominatim et cum honore ſalutes contubernalem noſtrum, ut aliquando oſtendere ei poſſim, te ejus meminiſſe; neque enim quotidie utilitates infinitas mihi praeſtare deſinit. Intelligo, Conſtornejum Helmſtadii edidiſſe ſcholia Graeca vetera in primum aut aliquot primos Iliados; vide nunc, ubi invenire poſſis. Saluta omnes inprimis hoſpites et ſanctiſſimos ſenes. Lugduni a. d. VII. Cal. Septemb. CIƆIƆCLXIV. Vale, vale; nos ſatis, Deo gratias.

V.

Probo et pio adolescenti Jac. Gronovio, Hamburg ꝛc.

Pater Filio S. P. D.

Redeunt hodie recitationes jussu R. M. Quin novo more interpositum est decretum Curatorum, quoniam Professores quidam metu contagionis, alii per negotia peregre sint, et absentia sua impediant frequentiam studiosorum fugientium, unde ipsi fugiunt, placere, ut reversi die lunae, qui heri fuit, munia repetant. Videbimus, num haec regia verba sint calefactura auditoria nostra. De collegio nostro ad Atticum quidem percepi etiamnum neminem. Nec praeter peregrinos paucos in viis publicis video. Numerus proximae hebdomadis functorum par fere fuit praecedenti, sed eo gravior, quia inter illos est Cornelius Schrevelius ludi moderator. Die solis subsellio nostro ante me sedentem in templo salvum salutavi: nocte inter diem Martis et Mercurii animam edidit. Quod ubi auditum fuerit in Sicambris et Tubantibus, exspectabunt scilicet amici suffragationes. Frustra: facile enim intelligis, non posse hunc bolum eripi fratris tui magistro. Nos divina indulgentia incolumes. Sed insinuavit tandem malum in angiportum continentem aedibus nostris posticis, in quo ante octo annos saevissime grassatum est. Deus spero nobis aderit. Tibi quid praecipiam, parum exploratum habeo. Desidero quidem, quum eadem illic pro te metuam. Cognatis, dum nondum remittit lues, ut accurrant, auctor esse non ausim. Nec Burchardum comitem dimittere te velim. Nisi fortassis horres mare, et terrestri via, veredariis curribus uti mavis. Sed sic circumspi-

ciendus fidelis comes: atque utinam is Fontanus effet. Quos falutare debeas, quid ego te moneam? Confulem atque etiam ejus fratrem legatum fi adire audes, et illi non infra dignitatem putabunt te admittere, facile patior ut falutem a me officiofiffimam promptiffimaque obfequia utrique deferas, et memoriam mei reficias. Frid. Helmius non te invitavit Tychespolin? Vale, et inprimis ubi es, et vicinae domi, faluta. Lugduni a. d. IV. non. Septemb. CIƆIƆCLXIV.

Wordenhoffios etiam, puto, falutafti! In bibliotheca publica inter Lindenbrogianos an quid fit collatorum MSS. et inprimis an Ammianus ille, quem paraverat novae editioni, compareat, vide per otium.

VI.

Optimae fpei adolefcenti Jac. Gronovio Hamburgi.

Pater Filio S. P. D.

Binas tuas recte accepi, et vos valere gaudeo. Tu autem meis terreri non debuifti. Idem Deus opt. max., qui ad hoc usque nos tutatus eft, curae cordique in reliquum habere non definet. Tu modo non definas pietatis et precum ex intimo pectore affiduarum. Praeterita hebdomade 205, ex nofocomio 30 elati funt. Bonum tamen fignum ajunt, quod multi in illo publico valetudinario recreantur. Ante octiduum in angiporto nobis vicino puer repente occubuit: neminem tamen poftea laborare audivi. Nonis Septembribus (die vene-

ris proximo) repetivi publicas operas: aderant quaſi quatuordecim; ſed nemo ex noſtris, praeter Crucium et Hertogium: nam Junius domo abeſt, et negotium quoddam meum in Sicambris procurat. Heri cum ad Academiam veniſſem primum, erat ſolitudo: guttatim deinde ac vellicatim ad ſex adrepebant, quia plus dimidium horae transierat, recitationem in hodiernum distuli. Synopſes en vobis, quae ſi patruo tuo placebunt, non me operae poenitebit. Literas ad Hojum per viatorem noſtrum miſi, et bis monui ſatis mature, ſi quid vellet, ante hunc diem ad me mitteret. Hoſpitium Burchardi non abiit intactum: et ipſe Hojus haud ſcio quo eventu adhibitus eſt, ut ex ore illius, apud quem diverſatur, mihi narravit viator. Grallas Capanei illius vel Aloeidae Viennenſis, ut praeſagiebat animus tuus, riſi. In Terentio Lindenbrogiano, quod non ita pridem demum notavi, deeſt mihi litera Z. hoc eſt a pag. 177 uſque ad 184. Vide an impetrare poſſis ut hunc defectum mihi ſuppleant. Similiter cum ibi eſſem, emi Müntzbuch, darinnen zu beſehen etc. mit einem weitleuftigen regiſter und prob etlicher Gelder angehenckt, Hamburg in Verlegung Jungen Wolders 1631. Das weitleuftige regiſter vnd die prob exemplari meo abſunt, et ſi quid aliud ſequebatur pag. 240. Hoc quoque vide an poſſit ſuppleri. Librum illum Lipſienſem ignoro: ſi nihil aliud habet, quam Hamburgenſis iſte, eo non indigeo. Octiferia Modius, Lipſius, Gruterus e mss. eruerunt: et vox vatis placet pro illis, quae fucata externa ſpecie oculos alliciunt: ſed ſustinui me nec inſerui contextui, quia nec duo illi. Valde me permulſit humanitas, qua exceptus in domo antiqua. Recte quoque cum ſenem venerandum Weurdenhofium.

Cur non et filios? et agnatum collegam meum in ſacerdotio? Lutkenios quoque praeterire non debes, vel ſi faſtidioſe recipiaris. Nam Chriſtiani et Theodorici matres domosque non dubito adiiſſe te, etiamſi nihil de illis ſcripſeris. Vale, vale. Salveant omnes propinqui, inprimis hoſpites tui et ad miraculum boni, ſancti, benigni, generoſi, ab laeva veſtris aedibus vicini ſenes. Lugduni in Batavis a. d. v. id. Septemb. 1664. Etiam DD. Huswedelium medicum meo nomine officioſe ſalutare potes.

VII.

Probo et pio adoleſcenti Jac. Gronovio, Hamburgum.

Bei Hrn. Leutenant Gronouwen auff dem pferdemarck gegenvber St. Gerdruthen-Kirche abzugeben.

Pater Filio S. P. D.

Ego quoque non minus te deſidero, nec minus doleo tam diu interrumpi curſum ſtudiorum tuorum: ſed manet idem metus, niſi quod ei paullatim aſſueſcimus, eoque levius eum ferimus. Praeterita hebdomas priori parem numerum Orcino traditorum theſauro retulit minus duodecim. At ab angiporto noſtro, unde puerum ante quatuordecim dies elatum ſcripſi (gurguſtium eſt e regione portae et Jani ſubter muſeum tuum, parvo intervallo diſtans) die ſabbati quinque corpora in valetudinarium publicum portata ſunt. Heri poſt mercatum Falcoburgicum primum rurſus publice dixi in auditorio frigido et fere inter ignotos. Spero hunc menſem ſi elapſi fuerimus, vim periculi mul-

tum accisam fore. At tu, si vis ita, et potes a patruele et consobrino divelli, veni cum Deo benevolente. Tychespolin*) naves recta Amstelodamum dimittere puto, aut eo appelli dumtaxat et intersistere Hamburgo oram solventes. Deus opt. max., cui gratias debemus infinitas, quod in hanc diem inter tantam stragem nos omnes immunes mali habuit, te salvum salvis nobis reddat. Coccejus rediit haud dubie Curatorum edicto excitus. An brevi sit instauraturus scholas, quibus operam dare soles, ignoro. Nondum enim eum vidi, nisi in templo, et Junius in Sicambris est raudusculi causa, quod mihi in gratiis a quaestore recipiendum est. Nostrorum nemo etiam me interpellavit praeter Crucium et Francium, sed hic speculandi tantum causa venerat e vestigio regressus in patrium oppidum. Quo si veneris, non est necesse, ut eum domi salutes: sororem enim, quemadmodum antea scripsi, contagio amisit. De Quintiliano noli esse sollicitus. pergam strenue. nam filius jam dudum adhibitus a patre ad centones suendos artificium facile sustinebit. Ipse autem Rufus et ego, credo, uterque alterum vitamus. ego illum, ne meae facilitati grave onus imponat, ille me, ne, si ultro adeat, aliquid stipuler. Tu interim etiam etiamque vide, quid — nam frustra fugêre, qui ante tempus redeunt. Deus provideat et vos omnes servet. Lugduni ὡς τάχος die Martis XVI. Cal. Octobr. CIↃIↃCLXIV.

*) Tychespolis = Glückstadt.

VIII.

Optimae ſpei adoleſcenti Jac. Gronovio.

Pater filio S. P. D.

Binas tuas recte accepi. Quas incluſeras prioribus, ipſe porrigere geſtiebam, cui deſtinabantur, eoque ad aedes Carpentarii, cui eum vicinum et familiarem eſſe ſciebam, me contuli. Sed ibi triſtiſſimum accepi nuntium, Hejum ipſum non lue quidem peſtifera, ſed alio non minus gravi et hic locorum inuſitato labore (laborare) morbo, cui et ipſe et Silvius mederi ſe poſſe deſperent. Itaque omnia comparare quaſi ad imminentem quot horis deceſſum, cum maxima omnium, qui noverunt hominem, miſeratione. D. D. Vagetius huc ſi filium mittere volet, atque is meo conſilio et opera in ſtudiis indigebit, nihil illi eorum, quae et ſtudioſis et conſanguineis adoleſcentibus praeſtare poſſum et ſoleo, quantum in me eſt, deerit. Sed nec locum ad habitandum mecum eſſe, nec ſi eſſet, hanc mihi veniam dare uxorem, ut convictores admittam, noſti. Ἃ ἔγραψας, γράψειας ἀμώμητα. Dolet quod nondum jubere poſſum, ut reditum matures. Septendecim ſupra ducentos praeterita hebdomade numerantur deſiderati. Nec tantum paſſim aliae poſt alias corripiuntur domus, ſed etiam in noſtra vicinia. Quare, quod volunt, etiam manete, praeſertim cum inſtent octo dierum feriae a V. Non. Octobr. Interim Deum per Chriſtum aſſidue precare, et bonum habe animum. Sed et ne hoſpitibus gravis ſis, palam dicas licet patruo et ejus laudatiſſimae uxori, me paratum ſolvere pro te penſionem victus et manſionis, ex quo tempore cum illis fuiſti, quantam in hebdomades pro more loci et honeſtarum do-

muum juſtam eſſe putaverint. Coccejus cum uxore rediit, ſed liberos in Selandia apud generum reliquit. Interim nudius tertius ſex compellantibus (inter quos Junius) quod neutri exſpectabant, privatim ſe audiendum praebuit. Studioſi adventant paullatim, ſed adhuc fere ſacrorum. Plura volebam, ſed interpellor. Vale τοὐμὸν μέλημα et ſalve cum omnibus, quos a me maxime ſcis ſalutari debere. Lugd. a. d. VI. Cal. Octobr. 1664.

Weitzii in Terentium et Ovidium Collectanea, ſicubi repereris, para. Nihil etiam reſpondiſti mihi de ſupplementis librorum mutilorum.

IX.

Pio et probo adoleſcenti Jacobo Gronovio. Hamburg.

Bei Herrn Leutenant Gronouwen auf dem Pferdemarkt gegenüber St. Gerdruthen-Kirchen.

Pater filio S. P. D.

Hejus jam quintam hebdomada degit in veſtimentis (id enim Senecae eſt lectulo affixum eſſe ep. 67) magno cum cruciatu, ut nec quomodo commode jaceat, nec quomodo ſe moveat explicet. Vexatio corpusculi nova et medicis incognita. Ex praecurrente duritie tumor, facile geminatum pugnum excedens, increvit in orbem circa anum, quem vix paxillo immiſſo apertum tenet. Nec ϑυμαρίᾳ χρῆσϑαι poteſt, niſi ſtans innixus alicui, et adhibito, qui nec ipſe ſine graviſſimo dolore excipitur clyſtere. Nec, quibus alioqui deſidere aut ſolvi ſolent, ullis tuber hoc cedit. Jam et veſicam infeſtat, ſic ut ſollicitet perpetuum quoddam excernendi deſiderium, ni-

hil tamen, niſi intra XXIV horas ſemel, eliquetur. Verentur et gangraenam ſubrepentem. Itaque mirantur, ſtupent, deſperant medici. Talis videtur morbus fuiſſe, de quo Samuelis V. verſ. 6 et 9 et 12 juncto cap. ſequenti v. 6. Martial. 4. 43. Juro per Syrios tibi tumores. de quo Scaliger ad Manil. p. 344. Complorat magna pars oppidi, et jam ſepulcrum donaverunt. Burchardi hoſpita ad nos inviſit, ut reſciſceret de eo, et num brevi rediturus. Reſpondi, ita fore cum Deo benevolente, ac fortaſſe tecum. Interrogata de caſibus domeſticis, faſſa eſt, filiolam ſibi ante ſex hebdomades graſſanti malo ereptam; neminem tamen exinde decubuiſſe. Ego indies te magis invitus careo: ſed omnes ſuadent praecipitem Octob. hunc exſpectari. Quae proximam praeceſſit hebdomas, 170 detulit, ex valetudinario 20: proxima aucto numero inde 195, hinc 40. Sic variant ſpes et metus vices. Te ubique, etiam apud magnates comiter excipi gaudeo. Cave autem, animos tollant tibi, quae fluxa et vana ſunt, praeſertim, ubi vanis contigere. Quin ob id ipſum reverentius Deum venerare et tibi magis contendendum cogita, ut ſemper optimis quibusque probare te poſſis, quantoque majori te honore dignantur, tanto fac de te ipſe humilius ſentias, tantoque modeſtiorem te illis praebeas. De amictu ex neceſſitate et decoro conſulas licet. Tuas uxori ſtatim tradidi et gratas habuit. Cornelio quid velis, ut ſemel ſcripſi, non intelligo, dic clarius et vel vulgari lingua. Nec quas ad poſtremas reſpondere me velis capio; ante noviſſimas erant, quas XIII et XV Cal. Octobres dediſti: in quibus quicquid erat, ad quod me reticere nolles, reſponſum tulit. Bremam ſi veneris, non eſt neceſſe, ut aliunde conquiras, ſat

a me tibi mandatorum erit. Eſt ibi Henrich von Barth coactor commodorum ſacerdotioli (Vicariam vocant) quod illic habeo. Is admodum CXX uncias argenti (Imperiales dicunt) debet et jam dudum nec nummos nec epiſtolas mittit.

Expergefeci nuper hominem, monuique te venturum, ut appelles. Exſpecto quid reſcripturus ſit. Si quoque inviſere ibi vis primates, veteres amicos meos, potes alloqui et officioſiſſime ſalutare meo nomine duos Conſules Dn. a Bentheim et D. Mejerum, Dn. Syndicum Wachtmannum, condiſcipulos meos. Dn. Aleus Senatorem, quem olim hic terrarum cognovi, et in peregrinatione Gallica obvium habui. Duos Doctores Formenoir, Protte, Paul. Coccejum: primus huc me jam profecto, duo me rectore honores acceperunt. Sed vix tantum otii ac morae permittent tibi comites. Itaque ſi non licebit alios, Bertinum dumtaxat et conſules duos ſalutes: ſi ne utrumque conſulum quidem, Benthemium certe, cui gratiſſimus acceſſus tuus erit. Quod ſcripſi de penſione pro victu, ex animo ſcripſi, nec debet vereri patruus tuus, leviorem propterea ejus apud me gratiam fore. Dabo libens, et perinde amabo, perinde gratias agam, quod tibi ſuffugium dederint. Vale et ſaluta omnes κηρόθεν. Non. Octobr. MDCLXIV.

X.

Bonae ſpei adoleſcenti Jacobo Gronovio Hamburg.

bei Herrn Leutenant Gronouwen auff dem Pferdemarkt gegenüber St. Gerdruthenkirche zu beſtellen.

Pater filio, ut ſperat, haud degeneri, S. P. D.

Inventus eſt, qui curva corrigat. Hoc proverbium valet in reprehenſores magis moleſtos, quam juſtos. Tum in eos, qui mutare et quaſi mutando emendare conantur, quae mutari non oportet; ſive quod in eis nihil eſt vitii; ſive quod id vitii ita inolevit inveteratumque eſt, ut niſi magno cum periculo etiam ſalubrium non poſſit moveri. Sed hujus modi dictis tam mali utuntur adverſus eos, qui bene et in tempore atque ex uſu corrigunt, quam boni adverſus illos, qui imperite et intempeſtive. Puta, hoc dixiſſe adverſarios in Schelium noſtrum: puta ſuos Luthero aut Calvino: puta Romuli faecem de ſtrictis Catonibus. Inſonderheit ſchickt ſichs auf die Herrn Naßweiſen, die alles beſſer wiſſen wollen, da ſies doch erger machen. De Supero mari fruſtra dubitas: id enim, ut videtur impetu ſuo ſecuiſſe terras et feciſſe ſinum Tarentinum, ita et perrupiſſe Iſthmum illum vel anguſtas fauces, quae Siciliam annectebant Italiae, atque ita illam a corpore ſuo abſcidiſſe, praeſertim ſi fluctus perpetuo meat a ſupero ad inferum, ut vult Juſtinus: et credibile eſt: alioqui et hic reciprocationem notaſſent, qualem in Euripo. Scriptionem dare videtur ſic poſſe defendi: abſtinere tamen malim: nec memini, quis habeat veterum: niſi forte Symmachus. Speculum illud monetarum cave patiaris elabi tibi: nunquam putavi minus uncia argenti

(1. Imperial.) poſſe emi. De expenſo, ſi ratio tibi conſtat, non me acerbum habebis. Quod ſupereſt, ſi vereberis, ut ſufficiat ad iter, ubi tempus veniet, a patruo ſume. Praeterita hebdomade ducenti ſedecim praeter eos, qui e noſocomio, elati ſunt. Itaque creſcit rurſum numerus, et jubeor praecipitem Octobrem exſpectare. Elapſis feriis octo dierum, quas dabat memoria liberatae urbis, hodie redeunt publicae ſcholae. Privatim nullum etiam auditorium habui. Quinque inſtantes aliquoties, ut Juſtinum recitem, permoverunt, ut proſcripſerim, me poſt horam ſecundam ſtatuturum de congreſſibus. Nec majorem admodum numerum exſpecto. Typographus de Quintiliano tandem conſilium petiit; quod niſi ei dediſſem, oleum operamque perdidiſſet. Percurri per hoc otiolum et Fabii avi Calpurniique Flacci declamationes: vix eſt ulla, in qua non aliquid profuturum obſervarim. haec nunc literis mando, et interim te ſaepe deſidero. Livii duobus prioribus tomis addenda feci, quae vel ſola novam editionem merebantur. Suaviſſimis incomparabilis fratriae literis proxima occaſione reſpondebo. Cum haec ſcripſiſſem, redditae mihi, quas Non. Octobr. Julianis, ſtatim ut videras meas, ſcripſeras. Theodorico gratulare reditum meo nomine quam humaniſſime, et narra, me Philippi a Bertheria Πιθανὰ et alios libros. quos ille pro me Pariſiis emiſſe ſe Blaeſis ſcripſerat, non accepiſſe, nec reſciſcere poſſe, quo delati ſint. De Phoenice placet commentum. Inſcriptio ſit: SIC RENASCOR vel SIC EXUO SENECTUTEM. Epiſtolae meae Amſtelodamum curandae non mittuntur: ſed hic dantur veredario ſolutis pro vectura obolis quatuor: et per eundem, opinor, recipio tuas numeratis

obolis ſeptem. Interulam unam et alteram cura parari. Item de alia veſte, ſi quid ejus vel honeſtas vel incipiens frigus novari juſſerit, ut poteris, conſule. Ubi, quod habes, defecerit, patruus ſuccurret. Puto penes eum eſſe aliquid mercedis aedium. Si recta per Uſipetes via utemini, nemo eſt, ad quem te allegare poſſum, ante Suollanos, niſi forte Oldenburgi Berh. Heilerſieg et Joach. Hagmeier, ambo Doctores et Conſiliarii Comitis, veteres amici et ſtudiorum conſortes: vivunt Suolla ad Trajectum; inde huc ibitis praeterito Amſtelodamo. Eſt alia via paullo longior per Friſiam, quam non puto, vos ituros. Si tamen, Groeninga occurrit. Ibi noſti Mareſium, Tobiam, Borgeſium, Fr. Junium, Deuſingium (ſed apud hunc cave quenquam de literis aut mea cum illo amicitia) Albingios. Vale, vale, et ſaluta ſalutandos. a. d. prid. Id. Octobr. Gregor. MDCLXIV.

XI.

Probo adoleſcenti Jacobo Gronovio. Hamburgi.

Bey Herrn L. Gronouwen auff dem Pferdemarcht bei St. Gertruden-Kirchen.

Pater filio S. P. D.

Martialis, opinor eſt: *Nobis non licet eſſe tam diſertis.* Et multa talia. Quibus evinces facile, id, quod rogas, artis praecepta ſatis tolerare. Sed conſuetudo loquendi interceſſit, ne participiis utique ſic promiſcue uteremur, cum multo brevius et ſimplicius idem efferre liceat.

Quid enim necesse est, me dicere: *Licet mihi esse hoc agenti:* quum promptum et expositum sit: *Licet mihi hoc agere.* In talibus igitur memor eris illius apud Quintilianum, aliud esse Grammatice loqui, aliud Latine. Nec vero credes Leopardo *) (quamquam praeclarus est scriptor, neque excutere eum manibus tuis volo, immo ultro hortor, ut diligenter legas) corrigendum esse, quod habetur apud Tacitum: *Haec atque talia plebi volentia fuere.* Sic enim habes et 3 hist. 52. Emblema mercaturae potest esse Mercurius cum petaso et talaribus, sinistra caduceum, dextra sacculum numerorum tenens: qualis pingitur in Nummis Antverpiensibus tab. 45. 10. vel in Inscriptionibus Gruteri p. 51. vel apud M. Velserum in rebus Augustanis. Carmen, PER ME EST UBICUNQUE QUOD USQUAM EST. De nomine Achillis inter Lycomedis virgines noli mirari. Saepe doctissimos fallunt homines, quae mox omnibus innotescunt. Finge quod de Pyrrha accepisti, tum fuisse τῶν ἅπαξ ἢ δὶς εἰρημένων: hoc est, non nisi apud unum alterumve (ut nunc etiam nobis) auctorem legi potuisse, qui, ut habent sua fata libelli, infrequentes in manibus essent, ex iis postea eruisse Higinum aetate Tiberii multo inferiorem. Hejus lenta conficitur tabe sine spe salutis; ita attenuato corpore est, ut sceletus videatur, ut ossa et pellis. Goclenius **) postquam e flamma cibum petere

---

*) Paulus Leopardus, 1510 Isenbergae prope Furnas in Flandria austriaca natus, propterea et Furnius dictus in graecis latinisque literis exactum se ostendit Criticum. Ejus emendationum seu miscellan. crit. libri XX. Antverp. 1568. 4. adhuc sunt in pretio.

**) E flamma cibum petere est des Magens wegen Etwas wagen. Lex 26 D. de operis libertorum haec est: Me-

coepiſſet et in valetudinario publico praecedente *imperantes* (l. 26 D. de operis libertorum) per bimeſtre habuiſſet, numeratus eſt inter CLXVI proximam praecedente hebdomade humatos. Proxima quátuor capitibus minus habuit. Itaque vel boni ominis cauſa colligite ſarcinulas ad iter. Bremae, ſi Berthium videbis, nihil exiges: ſcripſit enim, promiſitque circa *τὰ Ἐπιφάνια* (vulgus Trium Regum vocat) ſe mihi curaturum, quod liberum eſt: ſalutabis tamen, monebisque ut promiſſa praeſtet. A Romero, quem dicis, nihil accepi. Iter noſtrum fuit Brema Delmenhorſt, mill. 1, inde Wilshuſen 2, Kloppenborg 3, Leuningen 2, Haſelunen 2, Lingen 2, Nyenhuys 3, Hardenberg 3, Suollam 4. Eſt aliud paullo longius per Friſiam, Emdam, Groningam, inde Suollam. Utrum libuerit, eligetis. Sed Suolla recta Amerfurtum, Trajectum, et ſic domum. Haec ſcripſeram, cum mihi allatae ſunt, quas IX. Cal. dediſſe ais. Agite, committite vos viae cum Deo benevolente: ad quem tu fac meis precibus tuas conjungas; dein ubique diligens et intentus ſis, ut ſalvi perveniatis. Aderitis exſpectatiſſimi. Iuventus nobis creſcit indies ob ſummam ſpem ceſſantis mali. Conſobrinae exceſſum ſane quam lugeo. De Gudio nihil inaudivi poſt ea, quae tu nuntiaſti. *Ἱερεῖον* nos quoque ex ſententia heri dejecimus: occurrite ut fruamini primitiis. Frater tuus *οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις, Ἀλλ' ἀγρι-*

---

dicus libertus, quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum: poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent. Id jus eſt nec ne? reſpondit, jus eſſe: dummodo liberales operas ab eis exigeret, hoc eſt, ut adquieſcere eos meridiano tempore, et valetudinis et honeſtatis ſuae rationem habere ſineret.

αις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ animam inflavit. Adversus frigora te munito. Quod de patrui tui honoribus exspectatis, ἀγαθῇ τύχῃ. Deus optimus max. nos incolumes et hilares conjungat per Christum rogatus. Vale. Habes inclusas ad patrui uxorem. V Cal. Nov. CIƆIƆCLXIV.

XII.

Pio et Studioso Adolescenti Jacobo Gronovio Hamburgum.

port d'Amsterdam.

Auff dem Pferdemarckt gegen über St. Gerdruthenkirchen bei Herr Leut. Gronouwen abzugeben.

Pater Filio optimae Spei S. P. D.

Heri tandem tradidit mihi tuas Romerus, postquam mensem ipsum in mari fluctuatus esset. Hinc colligas licet, quid vobis exspectandum sit, si eodem cursu utemini. Verumtamen et terrestris via anceps, nisi commodos fidosque comites habueritis. Quid si adsciscatis Johannem, ita ut, quia fortassis ille sumptum fugiet, immunem per iter habeatis? Et scis in Westphalia, qui transitus brevissimus, sic esse institutos currus, ut commode praeter tres non capiant. Sed hac de re vos melius formabitis consilium in re praesenti, quam ego hinc dare possim. Equidem imaginor vos jam in apparatu esse totos, nec te alias a me literas, ut nunc est, exspectaturum. Boineburgii casum sane quam lugeo. Haec fata regiarum amicitiarum. Vix tamen potest alicui diu impune esse, qui omnium se potentissimae

domus palam ferat inimicum. Weitzii *) quod occurrit, quamquam non magnae rei eſt, compares licet, nam patruum tuum fraudare Terentio nolo. Nec in homine bono quidquam eſt, quod magnopere appetas, praeter diligentiam congerendi undecunque, quae ad quemvis locum ab aliis notata invenire potuit, et quidem fideliter ſub nominibus auctorum, ut in quaerendo poſſis tempus lucrari. Si Bremae vacabit emere Pſalmos vernaculos Lobwaſſeri **) ibi editos paullo ante 1630 annum aut circiter (ſunt a Matt. Martino, ni fallor, inſigniter emendati) tum Aonii Palearii ***) orationes, (nam et hae ibi impreſſae) emas et mihi portes. Jam animus nihil aliud agitat meus quam iter veſtrum, quod Deus optimus maximus fortunet. Vale et ſaluta plurimum meo nomine omnes, quibus valere dices; ſed διαφερόντως illos, quibus plurimum debes. Lugduno Prid. Cal. Novemb. A. C. CIↃIↃCLXIV.

A Jo. Helmio accepi tandem literas et exemplar orationis etiam tibi ſervandum.

---

*) Ni fallor, Joh. Weitz putandus eſt, qui nobis dedit Commentarium in Terentium.

**) Ambr. Lobwaſſer, Doctor et Prof. juris et Regiomonti in Boruſſia a conſiliis Pſalmos transtulit in rhythmum germ. qui apud Calviniſtas in hymnarios recepti diu in uſu fuerunt, donec meliora ſubſecuta ſunt.

***) Aonius Palearius, rectius Antonio de gli Pagliaricci Verulae haud procul a Roma natus inter clariores Saec. XXI. Eruditos numeratur, cujus epiſtolae orationes et poemata Bremae 163 Amſtelodami 1696 et Jenae 1728 prelum ſubiérunt.

XIII.

Bonae Spei adolefcenti Jacobo Gronovio Hamburg.

Pater filio defiderato S. P. D.

Percufferunt me ictu nec opinato binae tuae, altera fupremam valetudinem, altera deceffum fortiffimi et probiffimi fenis *) nuntiantes. Nam quod de fperata honoratiore militia patrui antea jeceras, aliorfum acceperam. Cui ut ego, fi quis alius mortalium, vehementer faveo, atque ut contingat, quemadmodum oportet, Deum veneror, ita doleo profecto optimo illum focero, nos affine carere. Atque in ea re hoc quoque eft acerbi, quod itineri veftro mora objicitur. Alioqui quam bene cum Sciaffio et Gudio decedere potuiffetis! fed videbitis ut abfolvamini quam primum. Tempus eft enim, et Dei beneficio decrefcente faevitia mali, augetur numerus Studioforum. Praeterita hebdomade quafi centum elati. Burchardi hofpita nudius tertius me convenit et de fpe reditus veftri interrogavit. Confirmabat autem vehementer, ante undecim hebdomades filiolum fibi exfpiraffe non contagio, fed alio puerili morbo: neque quemquam alium domefticorum quicquam inde incommodi vel fenfiffe vel metuiffe: qui aliter ad me detuliffent, eos vulgari vitio in peftilentia omnes mortes ei acceptas referendi abductos. Nudius quartus Rampio jamdudum Rectori dicto, allectus eft proximus collega Paullus Junius Adriani F. confentientibus fuffragiis, abfens ipfe et comitiorum fui capitis prorfus ignarus. Utrum accepturus

*) Sedulo licet circumfpiciens eruere non potui, quisnam fuerit ifte fenex.

ſit conditionem an non, adhuc ignoramus. Jubeo omnes quam officioſiſſime et amantiſſime ſalvere, inprimis hoſpites. Vale et feliciter ite viam. Lugduno in Batavis a. d. III. Id. Novembr. 1664.

XIV.

Frugi Adoleſcenti Jacobo Gronovio Hamburgi.

Pater filio τριποθήτῳ S. P. D.

Jam medium iter emenſos vos putabam, et gaudebam unum alterumve intercedere ſerenos dies: jam confirmaveram percontantibus brevi repente apparituros: jam animo ruebam in complexus, quum necopinanti redduntur tuae ſegnes adhuc deſidere confeſſae, teque unas exſpectare etiamnum meas. Quas profecto an indulgerem tibi, diu deliberavi; adeo aegre eſt, ſpem, cujus tantam habebam fiduciam, nullam gravem ob cauſam, irritam cecidiſſe. Quid enim moramini? Non vel ipſe horror indies ſaeviora minantis hiberni excitare vos inde debebat? Certe quo tardius decedetis, eo difficiliores reperietis vias. Accingimini ergo: vel ſi frater patruelis detinetur, accingere tu cum Burchardo. Nummis ſi eges, a patruo ſume: veſtibus adverſus frigus te muni: rhedam ſcandite: ſi in Bremenſi principatu milites iter infeſtum habent, per Lunaeburgenſem pergite, ut Bremam veniatis. Ibi quotidie dantur comites reliquae viae. Paullo commodiorem eam, opinor, habebitis, quam nos olim ipſo Januario. Nam ſi omnem illic hiemem trahes, hoſpitibus gravis tandem et faſtidiendus,

quanto id fiet cum tuo meoque pudore? quanta autem jactura ſtudiorum tuorum? Coccejus non deſinit pergere. Ego praeſentes ultra ſuſtinere non poſſum. Ad haec quotidie naſcuntur cauſae, in quibus te indigeo. Petunt a me, qui privatim audiunt, ad Juſtinum dictata: ubi ſepoſueris, ignoro. Modo quaerebam Solinum abs te collatum; modo item Diatriben, quam, ſi bene memini, paraſti aliquando . . ſittybis, ut conſcinderem in uſum, coepi enim per otiolum eam retractare. Quare adesdum et cum Deo benevolente itineri te committe: ſpero, eum precibus tuis meisque flexum iri, ut ſalvus pervenias. Hoſpitibus ingere Homericum illud Odyſſ. O. ver. 74:
Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.
Et adhuc mandata quaeris? quae ſi eſſent, pigrarer dare, ne cauſam ceſſandi te inveniſſe putares. Excerpta Lucani, ſi quidem deſcripſiſti, bene eſt: ut nunc demum incipias deſcribere auctor non ſum: et illis carere malo, quam novam tibi moram objicere. Unum mando, curam habeas, ut tam probatus deſideratusque decedas, quam gratus adveniſti. Fratrem nihil aliud dicere volui, quam *τοῦ ἱερείου* mactati veſicam inflaſſe. Junius cum applauſu et gratulatione et ingenti exſpectatione omnium non ordinum, ſed hominum ſpartam ſuſcepit ornandam. Vale et fac in itinere pius ſis atque in omnia intentus. Lugd. VII. Cal. Dec. CIƆIƆCLXIV.

Sc. et Gu. nondum comparent. Francio dedi, quod voluiſti.

Haud ſcio ab ipſo, an ab alio acceperim, penes *τὸν πάνυ* Lucam eſſe diatriben meam obelis Barthii confixam. Cum ei valere dices, vide an impetrare poſſis, ſaltem ut inſpicias, et obſerves, genus notarum quod ſit.

XV.

Bonae indolis adolefcenti Jacobo Gronovio Hamburg.

Pater Filio S. P. D.

Utinam cum Gudio deceffiffes! Apparuit enim, et me follicitudinis implevit. Infefta dixit latrociniis militum itinera. ipfos per Bremenfem principatum iiffe: vix duobus millibus paffuum a via, quam tenebant, eodem tempore, cum transeunt, nobilem Holfatum e Gallia reducem fpoliatum et fauciatum a Sueonum equitibus. In Lunaeburgenfi agro non minus infolentium militum effe, certe eum fe magis timuiffe. Praeterea compulfos in Weftphalia mentiri Hamburgo vel Brema (nam qui hoc fateantur, fufpectos haberi quafi Hamburgo profectos) fe non venire; nam de quibus id conftet aut credatur, eos in aedes non recipi, fed fub dio pernoctare in curribus cogi. Quid te fiet? aut quomodo patrios penates recuperabis? Equidem adeo fum incertus, ut, quid jubeam aut velim, omnino nefciam. Profecto, ut ille loquebatur, mitius mare, vel hibernum, praefertim fi exoriantur jam dudum defiderati auftri. Quod fi Amftelaedamum usque durare nequis, dumtaxat Amifiam, quam nunc vocant Embdam, pervehi poffes, nec prius egredi navibus, quam veniffes inter hujus imperii fines; inde brevi freto fuperato Groningam, Suollam, Trajectum, huc, partim terreftri via, partim commodiffimo remulco. Puto autem Hamburgo Emdam ambulare naves. Inquire, et deliberate diligenter, et aucupamini, fi quam tutam rationem fortuna dederit; modo ne εἰς

προῦπτον κίνδυνον te committas; nam meum consilium omne subsistit, nec quidquam expedire possum. Excerptis illis frustra laetaris, *Dardanidam* non est nauci: sed possis inde facere *Dardanidem* a *Δαρδανίς. Hoc Ilium et haec loca Trojam esse jubet* scripsisse Virgilium censeo. Didicisti ad Justinum τὸ *Troja*, ut τὸ *Sparta*, interdum non urbes, sed regionem circa significare. Illa, quae ad *Urbem designat aratro*, ut descripsisti, fere habentur in Servio vulgato ante meliorem illum ex codice Petri Danielis. Versiculi plerique sensu non carent, sed non sunt elaborati, ut decet, nec numerosi. Tu vero parce *) in posterum hanc molestiam mihi imponere, ut Poeta videare. Satis est, quod toties scribi vis, utique si longius propages commeatum. Et hoc vix impetrabis, nec antehac impetrasses, nisi tam paucae essent privatae acroases. Quae te suspensum insomnia terrent, noli timere, sed Deum, ἐν ᾧ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν· qui omnia in bonum nostrum vertet, modo assiduus sis in precibus, et casta frugalique vita ac sanctis propositis eum colere pergas. Bonus Closterus, quum conductum ejus pestis invasisset, migravit ille quidem, sed dum nequit sibi temperare a frequentando veteri hospite, correptus et nudius quartus elatus est. Hic rumor conturbabit omnes Transulanos tardabitque. Proxima hebdomade CVI decessisse dicuntur. Christiano reditum gratulor. Vale et saluta omnes plurimum, inprimis domesticos et vicinam. Lugduni IV Non. Decemb. Greg. CIƆIƆCLXIV.

*) Reditu Jacobi longius protracto indignabundum hic patrem habemus, quem hucusque habuimus sollicitum. Sed in postscripto indignationis suae jam eum poenituit.

Jam obſignaveram has, cum mihi ſunt redditae, quas III. Cal. Dec. dediſti. Quia tamen paratos vos video, piget ſane ſupraſcriptorum. Sed non poſſum volens ſciensque in periculum vos praecipitare. Videbitis et ſtatuetis, qui propiores locis eſtis. Iterum vale et ἀσπάζου optimam matronam, cujus literas miſiſti.

XVI.

Aen Jacobus Gronovius
ten huyſe van myn Heer Jacob ten Muyl Jackencooper woonende op den Poot.
port van Amſterdam. tot Deventer.

Pater filio S. P. D.

Soror ſancte adjurat, ſibi nunquam ea,*) quae ſcribis, in mentem veniſſe: ſuſpicatur autem hoc eſſe commentum alicujus invidi, qui aegris oculis viderit indulgentiam erga eam avi et ipſius obſequium, et hanc frigidam ſibi apud eum ſuffuderit. Iter Monaſterienſe non impedio: quin piget me oblitum tibi eſſe dare libros quosdam, quibus diu uſus ſum, benigniſſimo domino reſtituendos. De viatico putabam te proſpexiſſe tibi, certus me, quicquid impendiſſes, redditurum. Nunc conſule ac vide, utcunque et undecunque poteris. Ego duas proximas hebdomades in moleſtiſſimo otio, primo per cruciatum, deinde per languorem et menſae faſtidia, quae ne nunc quidem vici, traxi. Catechetica Albi per primum

*) Cum epiſtolae Jacobi ad patrem in collectione noſtra deſint, indicare haud valeo, quaenam haec frigida ſuffuſa (Lange) fuerit.

naviculatorem habebitis: conſtant obolis triginta ſeu quinque denariis. Collegas accepimus duos ordinarios, Accipitrarium Theologum Franequera evocandum, et Melderum Dordrechtanum Mathematicum; auctor utriusque creditur Irenarches. Francium convaluiſſe et in publico jam viſum audio; accepit, quod miſiſti, etſi illic Hermes et ap. . . . et unum praeterea atque alterum, quorum nunc oblitus, fuiſſe nollem. Heinſius heri hac transiit in legationem ſuam rediturus, comite Graevio a Vorburganeo Schatſii Amſtelaedamum usque. Avunculum tuum per dies pauculos hilare ac laute exceptum Heſychioque *) et Grentemenilio **) donatum dimiſimus. Vale et communes affines amicosque ſaluta, inprimis hoſpitem venerabilem. a. d. IV. Cal. Junias, quo die Recitationes publicae redibant. A. C. CIↃIↃCLXVIII.

XVII.

Optimae Spei adoleſcenti Jacobo Gronovio Daventriam.

port van Amſterdam.
op den port ten huyſe van myn Heer Jacob ten Muyl.

Pater filio S. P. D.

Cum ſalvi perveniſtis, et ſalva omnia reperiſtis, gaudeo, et Deo opt. max. gratulor. Quae

---

*) Hoc anno prodiit Lugd. Bat. Heſychii Dictionarium cum variis doctorum virorum notis.

**) Grentemenilius ſeu quod verius Jac. Palmerius plurimum in rebus criticis verſatus edidit obſervationes in 30 authores graecos et alia opuſcula, quibus multum inclaruit.

ad Polybium notas, fero; immo laudo: praeter primum, quod nota figura ſatis excuſatur. De libris ſi quando repetetur ſermo, obteſteris licet, non irreverentiam, non avaritiam cauſam fuiſſe, ſed quod putarem non tanti facere, ut accipere aut habere vellet: etſi poteſt expiari peccatum offerendo quod ſupereſt, nihil morae fore. Allocutionis exemplar religatum, quia quod antehac miſi, curatum non eſt, ornatius et religatum nauta idem, qui libros, qui interulas, qui cultrum, tibi portabit. Interulae, quo die tuas acceperam Trajecto, delatae erant, ut Hardervicanus eas portitor acceptas inde terreſtri via mitteret: ſed ob ebrietatem aut oblitus eſt ſumere ipſe faſciculum, aut credere ei, ut ajunt, noluerunt. *Alacri* opinionem penes juventutem decreſcere indies fama eſt: non penes ipſum de ſe: neque enim diu eſt, quum in familiari ſermone jactaſſe fertur, duos eſſe ſolos omni ex ordine, quibus cedere velit, Dallaeum et Morum. Quae fila ei Parcae per proceres neant, prorſus incertum: et vileſcere enim non ita pridem ibi quoque, neve prorſus abjiciatur tanti habitus, Gallico collegio praefectum iri, nec minus audivi, qualiscunque ſit, nobiscum conſeſſurum, ſi nihil aliud, ne deſit turbator. *Πρωταγωνιστὴς* noſter cum candidato, quem deducebat, repulſus eſt et ea acerbitate verborum, ut ejus unquam rationem haberi vetuerint. Octavium noſtrum, illum paullo minus quam Pantagathum et antea ſciebam et nunc certum habeo fruſtra ſollicitari. Vulcanium utrum dicas, neſcio, illum longinquum *αἰετὸν ἐν νεφέλῃσι*, an vicinum iſtum, qui in magno emporio nummos cudit plumbeos. Optime conſulent haud dubie, ſi Victorem arceſſent. Richardus, ut opinor, jam in Brittania

eſt, nec vel auri montibus ab inſtituta peregrinatione avocari ſe patietur. Qui nos ordinant, ſolennem diem poſtridie Nonas Majas non obierunt, quod Irenarches ad legionem iſſet. is ubi domum fuerit reverſus, hoc menſe praecipiti demum conventuri putantur. Matri de reditu cave poſthac ſis moleſtus: ipſa ſe admonebit ſatis, ubi diuturnam ſitim patriae et ſuorum videndi expleverit. Furcillam tibi frater emit et per eundem nautam mittet, cras hinc moturum. Polybii editores hic fuerunt, te quaeſiverunt, quod vides ſpecimen dederunt. Vale et communes amicos neceſſariosque ſaluta, inprimis venerandum hoſpitem. Lugduni poſtridie armorum oſtenſionis. A. C. CIƆIƆCLXVIII.

XVIII.

Monſieur Monſieur Jacobus Gronovius
by Maſter Pieter de Vet in de Gloob, in de Liedenhal ſtraet, recht over het Oſtindiſche huys
port tot
London.

Pater filio S. P. D.

Εὐφράνθην viſis et magis lectis literis tuis, Deumque precor perinde ut ſeſe habeant caetera. Nos ejusdem beneficio valemus, niſi quod vetus faſtidium mihi menſam inſuavem, et circa talos tumor greſſus pigriores reddit. Avunculus tuus hic fuit et corbitam ſpoliorum implevit. Aegre ferebat te diſceſſiſſe inſalutato avo: ego te occaſionis illecebra necopinantibus et nobis abreptum ajebam. Thevenotus abiit repente non reſtitutis libris Arabicis, ſed Amſtelaedami relictis:

id indicium mihi Steno fecit, cum valere diceret, et num quid in Italiam vellem rogaret, ſeſe autem ante disceſſum huc eos miſſurum pollicitus eſt. Quem iſte facundum tibi comitem, ſi legato aſſecla haereres, promiſerat, Iſaacus opinor eſt, quem ſpes reliquorum avunculi exigendorum dulcedine ducit et domo expellit. J. Coccius Haga deſerta noſtro collegio accedet. Reperio in Catalogo Bodleianae Arriani hiſtoriam Alexandri Graece; item Indica MSS. Videbis an ſit operae pretium conferre. Tum, Halpericum de arte calculatorum MS. cupio ſcire, ſitne aliquid ſimile Gerberto, quem e legato Scaligeri deſcripſi, de minutiis Aſſis. Sed et Exercitamenta Rhetorica ad Theonis Progymn. Gr. MS. et Tiberium de figuris apud Demoſthenem. Hi quoque quid tinniant aveo cognoſcere. Cll. Hakium et Oldenburgum plurimum ſalvere jubeo. Eodem officio meo fungere apud magnos viros Caſaubonum, Pearſonum, Stanlejum, teque fac illis probabilem praeſtes. Vale. Leidae. Non. Jun. CIϽIϽCLXX.

XIX.

For Mr. James Gronovius

behinde St. Marien Church at Mr. Heyde his houſe

Oxfurt.

P. filio S. P.

Quas Londinii ſcripſiſti, recte accepi: quas Oxonio primas dediſſe ais, vidi nullas. De nummis bene habet: et confido te promiſſis ſtaturum. Quaſi autem non ſatis damnoſus annus hic loco-

rum fuerit nobis, poſt longam exſpectationem tandem nuntiat frater, 809 marcas in aedificationem impenſas, 340 unciis vel thaleris non ſolutis inquilinum meum foro ceſſiſſe, et rebus amotis fugiſſe, de biennii reditibus praeter 200 marcas, hoc eſt 158 flor. 9 ſtuferos nihil mihi reliquum. Dura haec et vix toleranda; ſed ὁ κύριος ἔδωκεν, ὁ κύριος ἀφείλατο· εἴη τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου εὐλογημένον. Huic tu quoque pare, hunc precare ſine intermiſſione: tum frugi et bono animo eſto: ille nihil, quod ſalubre ſit, deficere nos patietur. Placet, quod in cognatos incidiſti: placet, quod bibliothecae cuſtodem habes hoſpitem. Utere hac commoditate, ſic tamen, ut corpuſculo etiam parcas, nec nimis aſſidendo libris aliquid noxae contrahas. Uchtmannus polliciti memor eſt, et primo quoque die ſe id repraeſentaturum dixit. jam et Mareſchallum Dordrechtanum idem monuiſſe; ſed tum librum ſibi in quaeſtione fuiſſe. Golius domo aberat: non deſinam inſtare, donec certum ab eo reſponſum abstulero. De Polybio poſt diſceſſum tuum οὐδὲ γρύ. In Macrobio pergitur: de praefatione, ſi opus ſit, videbo. De Thevenoto cognoſti ex ſuperioribus meis: ſed abiit et Steno: nec libri ulli ſunt remiſſi. Sorgelius nondum rediit: nondum primum folium Stephani praelo commiſſum: nondum aes imaginis charta expreſſum. In prioribus juſſi te quosdam Bodleianae libros explorare: in his oblitus ſum, ſi quid erit Noctium Atticarum Gellii. Nos ut antea Dei beneficio: ſed faſtidium idem ſtomachi me lente vires recuperare patitur. Vale et ſalve a nobis omnibus. XVII. Cal. Quinctiles CIƆIƆCLXX.

Has dabo Neucomio Sartoris F., qui cras mihi ſe profecturum dixit. Et quia vereor, ut

ſuperiores acceperis meas (ajunt enim Londinii literas non circumferri ad aedes aut hoſpitia eorum, quibus deſtinatae ſunt, ſed oportere quemque, qui aliquas exſpectat, ultro a portitore petere) earum exemplum his adjunxi. Hadr. Junius Paulli pater obiit.

XX.

For Mr. James Gronouw
behinde St. Marien Church at Mr. Heide his houſe
at Oxfurth.

Pater optimae ſpei filio S. P. D.

Quod disponis diem, ut facere te ſcribis, haudquaquam improbo: modo des aliquid agitando corpori, nec perpetua ſeſſione valetudinem corrumpas. Cum autem tantum illic invenias ſalubris negotii, et id tractes ſine aemulo, ſine obliquo cujusquam oculo, miror tam praepropere te alio cogitare, ubi quo plus humanitatis experieris, eo minus ad perſequenda, quae potiſſimum appetis, otii relinquetur tibi, et, ſi quid eximium reperiris, verendum eſt, ne leporem excitaveris aliis. Quamquam autem in morbiferum autumnum incidere te nolim, et olim monuerim, quanto periculo a noſtratibus circa id tempus adeantur Galliae ob delicias fructuum, quibus immodice plerumque fruuntur et aut pereunt aut gravibus et longinquis infirmitatibus attentantur: tamen non invitum te ibi tenebo, et liberum tibi relinquo, quandoque transfretare velis. Valckenirius et Berkelius putabant te proximam etiam hiemem in inſula iſta non male poſiturum, et primo vere commodius deceſſurum. Sed hoc ſit arbitrii tui, dummodo conſilio et

ratione utare. De nummis nihil expeditius videtur, quam ut praebitores tuos, quod fupererit, Lutetiam curare jubeas. Poftea vias alias circumfpiciemus. Ad Macrobium in tempore advenerunt eopfe die, quo primum idemque ultimum folium operis tradebam. Latrunculorum fpecimen, ut a Rypio accepi, adjeci. Calculi funt rotundi, orbiculo feu περιφερείᾳ non majore, quam pictum vides. In fuperiori plano nota eft hieroglyphica: inferior in chartula agglutinata habet Latinam verfionem vel explicationem notae, ut adfcripfit Rypius. Lapis, in quo commemorantur ταυροκαθάψια, notabilis eft et fingularis. Videtur certaminis genus fuiffe dictum ἀπὸ τοῦ καθάπτεσθαι, i. e. καταπραῢνειν, τοὺς ταύρους. Habes horum parabolorum mentionem apud Suetonium Claudio et Claudianum in confulatu Manlii Theodori. Hodie quoque in Hifpania celebris la fefte des taureaux. Fragmentum Abfyrti exftat in Neandro de menfuris; eft tamen, quod differat. Verfus de Zonis haud dubie funt Varronis Atacini, cujus alias reliquias collegit H. Stephanus. Broumum Ber. nonnifi Anglica lingua legit: in Belgicam tamen ait effe translatum. Ex aedibus affinis ejus, qui mederga nos habet, ut cum Plauto loquar, nefcio quis propediem illuc navigaturus eft: per quem fpondet tibi primum Stephani folium, ego effigiem: funt enim exemplaria expreffa et fua per librarios venui pofuit, qui in aes incidit. Habui ante annum empta Poëtarum Ecclefiafticorum opera cum G. Fabricii notis: nusquam ea reperio; fi forte abftulifti et reddere oblitus es, fac fciam. Vale et Deo te commendare ne ceffa. Lugduni a. d. III Id. Julias CIↃIↃCLXX.

XXI.

For Mr. James Gronouw

behinde St. Marien Church at Mr. Heide his houſe

Oxfort.

Pater filio *πρὸς τὸν πόθον κεχαρισμένῳ.*

S. P. D.

Teſtimonium petitum ad Neucomium miſi. *Περὶ τοῦ Θείου* fuge nefanda ſuſpicari. Peccavit ille quidem, ſed imprudentia et patientia; nam decoxiſſe hominem et proripuiſſe ſe ab aliis quoque intellexi. Macrobianis ſi quid addi poteſt, (nam jampridem, quicquid erat, a nobis abſtulerunt) curabo, ut fiat. De ludo Latrunculorum carmen hexametrum ſcripſit Hieronymus Vida, de quo ſatis multa aut etiam nimia Jul. Scaliger in Hypercritico. Principium,

Ludimus effigiem belli, ſimulataque veris
Praelia, buxo acies fictas et ludicra regna,
Ut gemini inter ſe reges albusque nigerque
Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.

Exſtat et Guſtavi Seleni (i. Auguſti Brunſvicenſis Principis) Luſus Schaccorum ſive Schacht = und Königſpiel, Lipſiae 1616 in folio editum. Et eſt in illo principatu pagus, cujus incolae omnes, agricolae et paſtores, quadam lege ac conſuetudine loci, ſunt horum ludicrorum bellorum callentiſſimi. Lactis vaccas uberrimas quotidie duodecim cantharos (habet autem cantharus duas pintas vel mengelen) praebere ex ancilla intelligo: alias octo. Apud nos recte eſt: niſi quod me ſtomachus et crura laetari non ſinunt. Spes ſecundum Deum eſt in coeli mutatione, quam cum illo benevolente propediem experiar, et jam expertus eſſem, niſi me tenuiſſent inviſa de nocturnis

grassatoribus judicia. Neomagi quaestor novus statim ex auctoritate Repraesentantium Ordines (Deputatis vulgo nomen est) mihi conditionem renuntiavit, inventa vidua nobili, quae meum occuparet locum, et mense Decembri recipere me sortem cum debitis usuris jussit: alioquin otiosos ibi nummulos nostros fore. Adeo cito mobiles Quirites poenituit beneficii tanta cum specie dati. Aliquammultus apud Quintilianum satis placuit. Vale et Deo opt. max. te nobiscum commenda. Lugduni a. d. IV Cal. Sextiles MDCLXX. Quas ad Meignerum misi, accepisse te puto.

XXII.

For Mr. James Gronow.

Pater filio S. P.

Simulatque me expedivi molestiis negotiis, quae ferias mihi inutiles reddebant, tentavi, quod speraveram pridem, si mutato aere stomachum reficere possem. Itaque per Trajectum Grinnes usque cucurri, et ibi nactus, quam quaerebam, solitudinem complures dies egi per rus verum barbarumque et ad Reni ripam satis amoenam quotidie cum fratre tuo mane ac *περὶ δείλην* spatiatus. Sed cum proficere me nihil viderem, nec pauca experirer incommoda, quae domi vitare poteram, redii Trajectum, postridie ut remulco *οἶκον φίλον, οἶκον ἄριστον*. Intercepit consilium Graevius et secum aliquantisper rusticari compulit: nec minus tamen jejunum et *κακοστόμαχον* dimisit, ut jam non a loco, sed a tempore secundum Deum remedium exspectandum videatur. Excerpta Gelliana satis placuerunt, itaque

velim pergas et ſubmittas reliqua. Simul fac ſciam, *ὁλόκληροι* ſint illae Noctes, aut ut pleraque ſcripta exemplaria, libris quibusdam et capitibus defecta. Tum praefatio, ſuo loco, an ut vulgo, ad calcem operis rejecta ſit. De duris legibus vellem, ut velles. ſed *τέτλαθι*: non enim propter nos Pontus *ἄξενος* fiet *Εὔξεινος*, nec colorem mutabit nigri manus oſſea Mauri; praeſertim quum, ut feſtines, nihil urgeat. Tamen omnia tibi libera reliqui, neque te illic ingratiis tuis tenere volui. Polybii [1]) tria exemplaria miſit ad me Vasbergius; reliqua tibi, ubi es, vel Lutetiae curatum iri pollicetur. Ex iis unum Graevio, alterum Solingio deberi ex ſponſu monet frater tuus. Macrobiana Berkelius ad te miſſurum ſe recepit. Salutant te conſortes, item Valckenirius, Graevius, avunculus, qui more ſuo partem feriarum nobiscum hilaris egit. Spanhemius tandem bona fide ſe nobis addixit. Vale et Deum time. Lugduni a. d. pridie Idus Septem. A. C. CIƆDCLXX.

Cum aliquid voles nuntiari iis, qui hic ſunt aliqua in dignitate, ad de D. ut tuus Polybius *Κύριοι Καρχηδόνιοι*. D. Golium ter quaeſivi, ſed non inveni domi: agam tamen cum eo, ſimulac potuero.

---

1) Polybium edidit Jacobus noſter cum interpretatione Iſ. Caſauboni, ac ſuas et variorum notas adjecit, Amſtelodami 1670. 3 voll. in 8. Quae editio tanti apud Eruditos pretii fuit, ut ab Jo. Aug. Erneſti 1763 repeti digna haberetur.

XXIII.

For Mr. James Gronow
recommended at Mr. Gerard Langerman in Burchin lean at the ſign of the weith lieon
London this.

Pater filio S. P.

Tuam cum Gelliana collatione epiſtolam accepiſſe me ſcis opinor et pergratam mihi fuiſſe: dudum enim Amſtelodamum reſponſum Meignero tradendum per Faithium miſi. Pupugit autem me non leviter id, quod commemoras ὑποχονδριακὸν πάθος. Cura quaeſo valetudinem, neque ita te ſtudiis dede, ut corpus amittas. Watewitzius ille quis ſit, et quando conſpectum ejus ſperare debeam, verbo addidiſſes vellem. Nec quid iſtud ſit Lexici, aut quae quorumve legatorum circumductio, divinare poſſum. Belgam JC. Theophraſti editorem novi neminem. Dan. Heinſius nihil adjecit commentariorum. Stapelius Bodaeus medicus Amſtelodamenſis fortaſſe in Botanicis verboſior. Quantum pecuniae a collybiſtis tuis, quo quamque ſummulam die, fac proximis perſcribas. Ego ex ſuperioribus 27. Maji mihi redditis 100 fl. a Caſtello, 14. Junii 100 a Corſellio, 30. Septemb. 100 iterum a Caſtello te ſumpſiſſe colligo. Si quid praeterea, cupio cognoſcere in anteceſſum e tuis, ne cum hic repetetur majorem exſpectata plagam ſentiam. Hactenus tamen nihil de ſumptibus queror, et ut ſic frugi eſſe pergas hortor. Virum Cl. Stanlejum ubi videris, cum officioſa ſalutatione nuntiabis veniſſe in poteſtatem meam Aeſchyli *Προμηθέα Δεσμώτην* et *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας* MSS. cum ſcholiis ab ipſo primum editis, interdum *μειονεκτοῦσιν*, interdum *πλεονεκτοῦσι*. Guſtum his ſubjeci, quo ſi delectatur et

desiderat reliqua, lubens describam et communicabo. Quanti Londinii sint Biblia Polyglotta et Spelmanni Glossarium et Somneri Lexicon Anglosaxonicum explora et me doce. Vale ac Deum time. Lugduni a. d. V. Idus Octobr. CIƆDCLXX.

XXIV.

For Mr. James Gronow
recommended at Mr. Gerard Laugerman in Burchin lean at the sign of the weith lieon

London this.

Pater filio εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν.

Varsevicius (mitte hanc de pectore curam) promissa patravit et fasciculum reddidit sedulo. Pridie dederam, quas ad te postremas una cum injecta scheda ad Stanlejum Marschiolo nostro (quem corpore in exiguo rem numerosam scis) curandas ultro munus id ambienti. Frater tuus ivit confestim illas repetitum, ut ex eisdem disceres, quod valde optabas: sed tabellarius jam φροῦδος. Pannonio igitur mercedis erit quicquid illi commodare potero et ob officium et ob tuam commendationem. Tua quoque et industria non parum delector et materia, in qua eam exseruisti. Vix aperueram Apulejum, quum adverterunt me in septimo extremo: *Caeterum titione delirantis Althaeae Meleager asinus interisset.* Hoc quidem meliorum temporum: sed, cum scriptus *melegaliter*, haud dubie novator verborum Lucius fecerat, *Meleagriter*, i. instar vel more Meleagri, quasi *Meleagriquement.* Silent hic, qui Florentinos. Utinam tibi eos conferre liceat! neque enim dubito, quin infinita neglexerint. In Taci-

to quoque jam inveni tui memorandi locum. De Augufti vocabulo defcribi juffi, et his infe-rui. Pecuniae, quod opus erit, dum manes, quantoque Parifios ufque, ibi fumes et de eo me accurate docebis. Lutetiae Valckenirius te promittit inventurum alium fymbolum: et minore fumptu hinc permutatum iri ait, quam quod jam permutatum Londinium eft, ut .... fummae duplex fiat collybus. Fac modo ubi difceffus diem ftatueris, mature me moneas, et fimul, ut dixi, quantum ibi fumpferis. Cupio hoc prius expungere, quam novum debitum fubeam, ut ad hoc tanto promptiores in pofterum habeam. Polybii (ut antehac fignificavi) tria exemplaria mifit Wasbergius, caetera tibi partim Londinii, partim Lutetiae redditum iri pollicitus: unum abstulit frater; reliquis duobus quid faciam, aut quos invidiofo delectu duos praeferam, quibus tuo nomine porrigam, ignoro. Valde placet τὸ ἐξώρκισε et τὸ διαῤῥεμβομένους. Macrobii [1]) folia poftrema mifit ad te Berckelius: ego integrum exemplar etiamnum vidi nullum. Dormiunt hi homines, nec nifi acribus tuis literis excitabuntur. Ampliff. Golio defiderium hofpitis Oxonienfis fignificavi: id ille videbatur lente ferre, neque omnino negans, neque plane promittens. Catalogum partis Vaticanorum communicarem libenter, fi domi haberem: fed commodavi primati viro extra urbem, a quo repofcere importune non aufim. Vale ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ καὶ ἔπου Θεῷ. Ego in quibusdam cibis incipio guftum habere. Frater et forores te plurimum falutant. Lugduni a. d. VIII. Cal. Novemb. CIↃDCLXX.

1) Eodem anno, quo Polybium, edidit quoque Macrobium Lugduni Batavorum.

XXV.

For Mr. James Gronouw
at Mr. Beates houſe at the peaſentmarket hil in
Cambridge.

Pater filio hactenus et ut ominor ſemper probato S. P. D.

Non diu, opinor, poſt ſcriptas, quas poſtremum abs te habui, deſiiſti deſiderare nuntium de ſarcinula Warleviciana. Et miſeram enim jam pridem et addideram, quod volueras de Auguſto nomine. In Pearſono et Stanlejo vellem, quae velles; ſed qualiacumque de iis, quam nihil. Tibi, ubi malueris, transfretare liberum eſt. et promiſit Falconerius te Londini inventurum ſymbolum ad accipiendos Lutetiae ducentos coronatos. T. Livii ſicubi tomum tertium, de Macedonicis puta Syriaticoque bellis, mediocriter antiquum repereris, et vacabit, conferre potes. In aliis poſt aſellum diaria non quaero: niſi forte detur Florentiae continuare, quod in optimo Laurentiano ad librum 22 cap. 5 Gudius inchoavit. De Sorgelio jam dudum nihil certi: quae feruntur, Deus averruncet. Exſtiterunt, qui ante tres, opinor, menſes Hamburgi ſe hominem reliquiſſe ajebant paratum ad conſcendendum. Poſt hoc nihil de ipſo; ſed auditum eſt triſte in eo curſu naufragium factum. hinc ſuſpicantur ὃ μὴ γένοιτο. Catalogus Wernerianus eſt in manu Armenii, qui Latinum facturum promiſit: an praeſtiturus ſit, incertus ſum. G. Hornius dum feſtinat Heidelbergam, eamque ob cauſam et literas Palatini Principis ad Curatores interponit, compendaria via ivit ad plures. Ego ejus horam XI occupavi, quondam ſolis Hiſt.

Prof. refervatam; nunc, ut nulla morum reverentia, et hi et illi et ifti in eam irruerunt: neque tamen frequentiam noftram tres aemuli exhauriunt. Pro vetere populo Romano alternis Tacitum enarrare coepimus. Polybiorum et Macrobiorum nihil, quam antehac, locupletiores fumus, nec quantum exemplarium ab iis, quorum tu commoda labore tuo auxifti, petere debeamus fcimus. Bonum factum, ut aliquando avum epiftola nepote digna falutes. His fcriptis alio me verterunt curae. Interim dieculis aliquot elapfis Valckenirius nofter, qui ante diem quartum ftentorea voce ita, ut in meo auditorio non minus quam ego perciperetur, disputarat, tertio hilare conviva adhibito pranfus, neque ipfum biduum tuffi et febricula tentatus effet, repente apoplexia ictus animam exhalavit. Collegae cafum eum fatis fortiter ferunt, neque inutili luctu fe macerant, praeter me, quia tua caufa velle videbatur. Ubi affines ad funus aderunt, refcifcam ex illis, an fymbolus, quem tibi Parifios comitem Londinio deftinabamus, curatus fit: et fi nondum, urgebo, ut primo quoque die fiat. Ab ampliff. Golio impetravi, ut, fi non omne, quod per literas ad me datas petit, certe majorem partem habiturus fit Cl. Heidius tuus. Vehtemannus quoque Abenezram, qui diu in quaeftione illi fuerat, reperit, et miffurum fe pollicetur. Cum has obfignare vellem, ecce optatas tuas, quas tertio nonas Decembres dedifti. De nummis, prorfus ut rogas, facias licet. neque enim te accufo et fi perges tam bene, ut adhuc, rationem fubducere, arcae noftrae confidito. Quod fi ante difceffum in Galliam defideras nos videre, nos vero te multo magis: Deus det, ut feliciter ambules. Et quae ibi collegifti, multo melius hic cuftodientur, quam

ſi ſarcinas tuas per reliquam peregrinationem augeant et onerent. Ad alia proxime, vel coram. Salve et vale. IV Idus Decemb.

XXVI.

A Monſieur
Monſieur Jacques Gronovius
chez Monſ. Frederic Michelſen rue St. Marguerite chez Monſ. Pettevin apothecaire au Faubourg St. Germain
A Paris.

Pater filio S. P.

Primorum votorum damnati ſumus, cum ſalvus perveniſti. De veſtibus et annona ſtatues, ut poteris. neque ſordidatum neque elegantem volo. Et mea quidem neceſſitatibus tuis non deerit benignitas: ſed tamen et conſortibus tuis illam me probare oportet: et vereor, ne, quo pluris conſtet, eo brevior tua fiat peregrinatio. Sed de his poſtea cum Deo benevolente videbimus: tu interim tranquillo ſis animo, ſed ita, ut et providus cautusque ſis et frugi; morum et ſtudiorum et religionis, quam accepiſti, regulam teneas; profanos nepotes, quos narras, quantum licet, vites, certe ab iis infici te ne patiare. Circulum cum ſigillo et claviculis ſtatim, ut ſurrexeram, in menſa poſitum reperi et reperiſſe me dolui. Si quis hinc ibi notus, ei committam; nam ut faſci librorum adderem, non venit in mentem. Uterque autem jam in via eſt: et Britannicum Ovius Cimber recta Londinum et Oxonium iturus; Gallicum Oorthius Rothomagum, inde ad Coevordium tuum Lutetiam curandum recepit. Vellem etiam retinuiſſem, quos Theo-

philus tibi; haud enim ſcio, an non ſit obnoxium calumniae ſpargere, ubi longe laxior eſt iſtius δικαίου interpretatio. Potes, ſi hoc melius, in faſciculum bene clauſos per aliquem e comitibus illuſtriſſimi Dn. legati, Grotii huc remittere: quem etiam ſi ſalutatum ibis, ſpero fore, ut pro amore, quo et pater ejus et ipſe olim me dignati ſunt, comiter excipiaris. De tragoediis Senecae inſcripta erat epiſtola a Monſ. Soulet advocat en Parlement demeurant a la rue parée vers le Quay des Auguſtins proche l'hautel de Nemours. Eam periiſſe ait Plumerus, quod qui ferebat, inciderit in latrones et omnibus rebus ſit ſpoliatus. Commiſſarium puto rogas Perraultum. Vidi epigramma Fran. Vavaſſoris S. J. (qui et de ludicra dictione doctiſſime ſcripſit, et quem aliquando ſalutabis opinor) ad Johannem Perrault, in ſuprema rationum regiarum curia praeſidem, olim principi Loudaeo a conſiliis et ſecretis; ſitne hic ille noſter, an quo gradu eum attingat, ex te cognoſcam. Alter, ni fallor, quem nominavi, vir eſt Monſ. le Meneſtrel, Con. du roi, treſorier grand de batiments arts et manufactures de France. Daventria nuntios a diſceſſu tuo nullos habui. De Cramoyſio videbimus: ſed prius tu res tuas compone. Centunculum (ſic enim voluiſti ſcribere) ne faſtidi, ſed adi crebro et audi vocem quantumvis languidam. Vale. Lugduni noſtrae a. d. pridie. Non. Mai. poſtridie quam nactus tuas 1671.

Περὶ τοῦ Θείου pauca, nec nimis aperta. Scis enim apud rimarum plenos.

XXVII.

A Monſieur
Monſieur Jacques Gronovius
chez Mr. Frederic Michelſen rue St. Marguerite chez Mr. Pettevin Apothecaire au Faubourg St. Germain
A Paris.

Πατὴρ καὶ Σύγκληροι Υἱῷ καὶ συγκλήρῳ τριποθήτῳ χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Superioribus tuis ſtatim reſpondi lectis et eas ſe curaturum *ὁ Πέλας* recepit. *Περὶ τῶν ἀναλωμάτων* nec displicet ſollicitudo tua, nec tamen nimis ſollicitum volo. *ὁ Θεὸς ὄψεται*· tu modo tene inſtitutum, et ſupervacanea vita. Scis me rei ſtuduiſſe, et multa deſideriis meis negaſſe, non ut haberem, quod homines loquerentur, uteretur nemo; ſed ut eſſet, unde vos uteremini, non modo *ἐμοῦ φρούδου, ἀλλὰ καὶ περιλοίπου.* Sed non eſt opus, ut repetam, quae ſcripſi, cum aut jam acceperis iſtas, aut Covordio flagitato accepturus ſis. Quod refers de ſummis viris, comiter excepiſſe te et honeſtam noſtri mentionem habere, etſi non novum neque inexſpectatum, tamen melli fuit mihi. Tu fac viciſſim, quavis illi occaſione cognoſcant, in rebus humanis eorum mihi memoria et veneratione nihil eſſe ſanctius. Ipſe, quod potes, praeſentes cole, prende, deliba et hauri, oculis et animo fige tam pulchras imagines, et cogita nusquam terrarum tantas aurei ſeculi reliquias tibi repertum iri. Cl. Syenio ab ampliſſ. Moneaucio fuit gratiſſimus nuntius. nec displicet ei, ſi fieri aliter nequit, per legatum. ſed ſperat, ſe compendioſiorem inventurum viam. de quo ſimulatque ab ipſo accepero, cognoſces. interim cura-

bit depingi formam Hippopotami noſtri Moneaucio promiſſam. Theatrum biblicum omnia hic bibliopolia perreptantibus nusquam comparuit: incidi tamen in hominem, qui ſe noſſe diceret et variis formis editum, eoque varium pretium, potiſſimam *τετράπτυχον* oblongam: ſeque daturum operam, ut ſciam propediem, quanti ſit. Ad Cl. Carcavium, quia id ei non ingratum fore ſignificas, ſcribam, ut primum vacabit. Tres habeo collationes Gellii [1]) regii doctorum hominum manibus factas. hi omnes ſatis me docent praefationem in eo exemplari eſſe, quod olim poſtremi libri ultimum caput ponebatur. et huic praefationi ſubjici lemmata capitum per omnes XX libros. Sed quid ſequatur ea lemmata, et unde incipiat contextus auctoris, quaſi de compacto ſilent. Suſpicor autem prima duo capita libri primi eo in volumine deeſſe; quando nihil a quoquam ibi varietatis notatum video, quum tamen habeant dignos vindice nodos. Codex eſt, ut antehac ordo fuit, numero circiter 457 et a lib. I. ad. VI. usque pertinet: ſed tam, ut dixi, a principio, quam in fine aliquid deſiderari cenſeo. quod accurate cognoscas, velim, et a quo capite, quibus capitis ejus verbis et literis incipiat, quove capite libri VI[ti] quibusve verbis et literis ejus capitis finiatur, mihi perſcribas. Quae in Polybio et Macrobio notas, videntur, ut in hoc transcurſu, ſatis placere. *Puras tabulas* puto, in quibus nihil ſcriptum eſſet. *Τὴν ἐπιχώριον γλ.* cave faſtidias. hoc in tuis unum non probavi. Quin tu omnibus modis cura, ut promptam eam habeas utpote magnum et inſigne vitae inſtrumentum.

---

1) J. Frid. Gronovius Auli Gellii noctes atticas cum notis et emendationibus Lugd. Bat. 1687. in 8. prelo ſubmiſit.

De cibo et potu nihil addam. ſpero te proviſurum, ut iis toleres corpus, non obruas. Vale καὶ εὐημερῶν διατέλει. a. d. XIV Cal. Jun. CIↃIↃCLXXI.

XXVIII.

A Monſieur
Monſieur Gronovius
chez Monſ. Frederic Michelſen rue St. Margarite chez Monſ. Pettevin apothecaire au faubourg St. Germain.
port. A Paris.

Pater filio S. P.

Quas viri ampliſſimi Capelanus et Thevenotus commiſerunt tibi, ſtatim curavi, alteras ad Strykerum Amſtelaedamum, alteras ad collegam. Places mihi, cum magnitudinem illius viri, quem ſcis, quanti ſemper fecerim, capis, et totum ei te in diſciplinam das. De Ammiano [1]) cum Calcaneo locutus ſum: et putabat ille quidem rem ſe factam habere; pactum conventumque eſſe: nihilo minus cum Caeſio acturum: formam non promittebat niſi ὀκτάπτυχον duorum tomorum: δίπτυχον forte maximam facilius alter pollicebitur. ſed cunctator eſt: et videndum, ne multos annos penes ſe, ut ſolet, ineditum ἀρχέτυπον detineat, niſi dura quadam lege ad rem properandam ſtimuletur. Orthius ipſe vetus noſter eſt, qui faſciculum curandum ultro ſuſcepit, nec dubito, quin jam aut naviget aut Rothomagum pervenerit. Idem ad Gombervillum literas meas miſit. Ὁμοέστιον, qualem deſideras, commodum, immo qualemcun-

1) Ammianus Marcellinus ex emendatione et cum notis Fr. Lindenbrogii et Valeſiorum. Recognitus et notis illuſtratus a Jac. Gronovio prodiit Lugd. Bat. 1693. 4.

que, unde tibi? Scis, quam rara ſit avis! Non invidebo tamen, ut Claudius Palumbum, ſi captus fuerit. Tu interim modicis eſto laetus, ut poteris, et confide τῷ κρείττονι, quo dante, me ſalvo, utilia tibi non deerunt. In Annaeo iſto, ſi tempus melius collocare potes, nolo te fatiges. Omnia ſunt poſt aſellum diaria poſt Florentinum. Clariſſimos Viros, veteres amicos meos, et quos recens adjunxiſti, Seguinum, Corſartium, Juſtellum, Coutillerium, officioſiſſime meo nomine ſaluta. Seguino etiam τῷ σεβασμιωτάτῳ dices me accepiſſe quidem donum ejus et longe gratiſſimum habuiſſe: ſed ejus liberalitatem profuiſſe tibi, an fratri: cum mihi ſic placuiſſet id exaſciatiſſimum opus, ut jam antea ſtatim, ut vidi apud bibliopolam, aere meo paratum poſſiderem. Carcavii et Thevenoti praenomina fac ut ſciam. Et ſi quid habetis de Fabro. migravitne vel migraturus εὐδαίμονα Κόρινθον, an manebit Teneates? Vale et Deum time καὶ ἀδιαλείπτως προσεύχου. Lugduni a. d. III. Id Jun. CIƆIƆCLXXI. Gallicae linguae magiſtro nunquam uſus ſum. nec te ut adſciſcas volo. ſufficit legere quotidie quantillum, nec quibuscum potes, aliter quam Gallice loqui. Hadriani hiſtoria Francorum in auctione Carpentarii empta hoc ipſo die bibliothecam ornavi. Iterum vale.

XXIX.

A Monſieur
Monſieur Gronovius

chez Monſ. Frederic Michelſen rue St. Margarite chez Monſ. Pettevin apothecaire au Faubourg St. Germain

port. A Paris.

Pater filio, quem frugi eſſe optat et confidit, S. P. D.

Quam multa praeter opinionem homini accidunt! Quoties quae ſpecie atque incepto pulchra et laeta apparuerant, uſu atque experiundo aſpera eveniunt et contraria! At tu τέτλαϑι et στέργε, quorum copia eſt. nam ut majore imperio doceatur officium, haudquaquam tentandum arbitror. Vides, quanto poſſit gravius nocere, ſi quantilla in re (licet jure) offendatur. Quare ſic iraſcere imperitiae hominis, ut potentiam revereare. Forte ipſa dies longa et quas per proximum curſorem miſi, eum tibi mollient. Quî autem permiſſum Bataviae inquilino totos deſcribere Jamblichos? totas Λογαρικάς; Sed mutantur tempora, nec omnibus ſimiliter arridet Diva, gratum quae colit Antium. Te ſi haec gratia deficit, habes alia, quibus carendum eſt illi. Nec vero ſimul una et altera in re fefellit exſpectationem tuam, debes odiſſe locum et fugere velle. Nusquam agitur tam commode, ut non ſit, quod deſideres. Si vetaris integra opera exſignare, at non vetaris conferre, quod quidem utilius puto quam talia, λῆρον πολὺν, deſcribere. Praeterea propitium habes Thuaneae praefectum, et habere potes defenſorem Stagiritae, Mazarinianae, opinor, ἐπίσκοπον. Nihil etiam dum narraſti mihi de S. Victoris ſcrinio, unde Vegetii Mulomedicinae

alium vulgato titulum et partem ineditam ostentant ὁ Χρηστός τε καὶ Ἀλώπηξ. Qui lividos concinnat et timidos, quorum equis durateis vexilliferis invidet, in eo recordare Terentianum: *Sic, Crito, est hic. mitte.* neque ipse tantum, sed et omnes populares ejus. Stulte facies, ista te si commovebunt. Vis tu ad talia aequiore animo ferenda cogitare, te patriam sortitum orbem terrarum, et eorum hominum esse, qui te cummaxime circumstant, et quod illi dicunt de quibuscumque aliis, id ad te nihil pertinere. Nummis si eges, quid moraris ire petitum? Non enim tantummodo in eam summam, quam exegisti, sufficit, quem tecum tulisti, symbolus: nec si quo librorum indiges, emere te prohibui. De Gellio recte: XIV posteriores libros habet Regalis circa num. DCLIX aut LX. hujus quoque formam mihi pingas velim et principium finemque perinde ut alterius, Lambecius narrat a Mazarinâ se habuisse Romae[1]) impressum ab Aldo Manutio a. 1469 et Venetiis a Nic. Jenson 1472. Inquire sodes: de utrovis enim dubito: sed maxime de priore: et primam editionem puto Romae 1472 a Conrado Sweinheim et Arnoldo Panartz factam. Quia intelligis Gallice, mane, ubi es, vel ob unam eam causam, ut et loqui discas; non enim hoc repente contingit, sed multo tempore et incrementis latentibus. Nec si qui videntur ineptire tibi minutias linguae patriae consectando et plausus inde captando, morose ac rustice fastidias, sed laudes

1) Editionem Auli Gellii principem e domo Petri de Maximis Romae 1469 in lucem prodiisse palam est. Splendidum hujus editionis exemplar Bibliotheca Universitatis nostrae inter sua Cimelia conservat. Anno 1472 duae hujus authoris editiones prodierunt Romae ap. C. Sweinheim et Arn. Pannarz. Venetiis p. Nic. Jenson.

fortunas illorum, quibus hoc licet. nos ab hac φιλοκαλίᾳ longe remoti ſumus, quos ne ſerio quidem de literis agentes quisquam audire, nedum laudare, ſustinet. Si Cordeſius aut Mentelius ſupereſſent, librorum editorum uſu non careres. Forte aliquis in illorum hanc comitatem ſuccedet. Vale et homines ferre, tuamque impatientiam vincere diſce. Ad Dretincourtium et Plaïum ſunt curatae. Iterum vale et nos tecum Deo commenda. Poſtridie quam tuas accepi a. d. XV Cal. Quinctil. 1671.

XXX.

A Monſieur
Monſieur Gronovius,

chez Monſ. du Buiſſon maiſtre d'hoſtel de Monſ. d'Aligre dans le petit hoſtel de Monſ. Schomberg rue Bailleu port. A Paris.

Ex epiſt. Steph. Morini Cadomenſis Theologi 14 Cal. Jul. Polybius ſane indigebat illuſtratione: et in Gr. textu et in verſione Caſauboniana non pauca deſiderantur. In verſione quidem accuratiorem verborum poſſe adhiberi delectum putarem. An tibi quaeſo probatur q. pag. 85. πεττευτὴς redditur *alcator?* an convenit Polybii prudentiae imperatoriam Amilcaris peritiam cum temerario aleae jactu comparare? Ego putarem ad ludum calculorum potius alludere, in quo ars et judicium ſuas agunt partes. Neſcio an non etiam verſetur in errore p. 329, ubi agens de Oeniadis ait oppoſitam habere in Peloponneſo Dymaeorum oram, *et proxime abeſſe a vicinis Avaxo locis*, *cum*

vix ſint in medio C ſtadia. At longe plura ſunt ſtadia inter Avaxum et Oeniadas. Ut igitur veritati litaret, forſan ſcrib. eſſet non ab Oeniadis, ſed ab ora Dymaeorum proxime abeſſe vicina Avaxo loca. Sic pag. 422 προσαναλαβὼν τὴν δύναμιν ſignificare videtur, *Copias cum refeciſſet*, non vero partem exercitus aſſumtam. Sed quod ſubit mirari, ſaepe discrepantes exhibent lectiones Latinae et Graecae paginae, ut p. 323 in textu Δορίμαχος, in verſ. *Archidamus*, melius procul dubio. ſi tunc enim periſſet Dorimachus, quae poſtea narrantur, non geſſit. P. 326 in textu τέριον vox nihili, in verſione exponitur πεδίον planiciem. Pag. 389 Atropatios habet pro Σατραπείοις. Praeterea nonnunquam addit textui neceſſarias voces verſio, ut pag. 428. ἐνιαύσιος, interdum plures lineas male ſupprimit, ut p. 304. At pag. 92 optime ſupprimit vocem Αἰτωλῶν, quae extat in textu, ubi de Mydioniis (quorum raro occurrit nomen) et eorum decreto circa τὴν ἐπιγραφὴν ὅπλων. Ex textu enim Graeco ſequitur victores Mydionios honorem detuliſſe Aetolorum praetoribus debellatis, quem reb. integris denegaſſent, quippe qui noluerant Aetolicae reip. adjungi. Mens itaque Polybii fuit victores Mydionios ſtatuiſſe, ut ſui praetores tam anni praeteriti quam noviſſime inchoati inter ſe partirentur τῆς ἐπιγραφῆς honorem, quemadmodum prius decreverant Aetoli hac ratione bipertiri debere a ſuis. Mitto longe plura, quae explanata fuiſſe a filio ſuo nullus dubito etc. Cl. Rapini conſuetudinem gaudeo reſpondere verſibus, quibus, dum ad vivum pingit, ipſam naturae vicit amoenitatem. Eum plurimum et officioſe a me ſaluta, ut et nobiliſſimum Lamonium, cujus memoria et obſervantia, ex quo hic eum vidi, apud me non deſiit

excubare. Salebras Tertull. habeo. non ſunt ad ſtomachum τοῦ πάνυ. ſi jubet tamen, indiculos capitum lubens mittam. De Blondellianis neſcio quid ſimile in ſtrepitu audiſſe me memini. ſed inquiram. De ergaſtulis omnia veterum plena. ſcriptores rei ruſticae. bella ſervilia Euni et Athenionis. ipſum illud, *ne praeter caſam*. Horatii ad Davum, *accedes opera agro nona Sabino*. Sed nondum video, quid in eo peccarit, quem notas. Hadriana viſitatura avum profecta et bene excepta eſt. Alii te ſalvere ac valere κηρόθι jubemus. Nonis Juliis 1671.

XXXI.

A Monſieur
Monſieur Gronovius,
chez Monſ. Buiſſon maiſtre d' hoſtel de Mr. d' Aligre rue Bailleu dans le petit hoſtel de Luxembourg
port. A Paris.

Pater filio deſideratiſſimo deſideratiſſimam ſalutem.

Conſauciatus ipſum pectus binis tuis reſpondeo non tam quia libido ſcribendi et argumentum eſt, quam ominis ipſius cauſa et qualiscumque ſolatii tui, ne tuum periculum ſegniter excipere nos putes. Quid enim ſcribam, niſi, quod noſti, vehementer angi nos vicem tuam, et vota facere, et tibi ſuadere, uti, quantum potes, valetudinem cures, atque interim ſanctiſſimo Creatoris arbitrio te totum permittas, ejusque pacem medio Jeſu te impetraſſe confidas. Ille providebit, ille faciet: et ſi nobis bonum, ipſi amplum eſt, nos

his aliquando quoque, ſin, melioribus, nec tam incertis infeſtisque ſedibus conjunget. Interim vince dolores, vince animum, et ſic te para, ut et evocanti pareas libens, et ſi proroget hanc ſtationem tibi, ho cipſum ames, et vivere velis, nec temere ſpem abjicias. Unum etiam, licet abhorrens, monuerim, circumſpicias, cui chartas (ſi quid humanitus fiat, quod Deus avertat) tuas, inprimis Polybianas, commendes, ne in malas manus veniant. Sed ſpero fore, ut haec cura inanis fuerit. Accepi ex Anglia literas ad te perhumanas Lloydii, et mittam ad primum meliorem, quem auguror, de te nuntium. Accepi et a Bernhardo poſtulante *τὰ Θεωρικὰ*, tanquam in vett. Mathem. per 16 volumina edituro. Quis ſit, quod ingenium, quae dignitas, me docebis. Blondelliana deſcribuntur hac fini, ut praelo commodius poſſint dari; data tamen nondum ſunt. Deus miſereatur tui et omnium noſtrum per filium aeternum et *μονογενῆ*, redemptorem noſtrum, enixe rogatus. Lugduni a. d. XI Cal. Sextiles. A. C. MDCLXXI.

Gudius honores nactus in Holſatia ibi manebit. De Raedt Profeſſor Theologiae extraordinarius Hardewici. Francium nemo noſtrum vidit. An Lindius te nunc fugit, ubi Durenius? Si indiges ope noſtra, impera, et nusquam tibi erit in me mora. Vale, Vale, Vale frater *φιλώτατε* De Bye Hagenſis J. V. D. eſt ex comitibus legati, utinam ejus amicitiae te inſinues.

XXXII.

A Monſieur
Monſieur Gronovius
chez Monſ. Buiſſon maiſtre d'hoſtel de Mr. d'Aligre ruë Bailleu dans le petit hoſtel de Mr. Schomberg.
A Paris.

Pater δευτερόποτμος Filio δευτεροπότμῳ propriam ſalutem.

Non dimiſi tamen ſine meis praeterquam hebdomados praeteritae curſorem, quum nec a te quicquam allatum foret. Quid autem ſcriberem poſtremis tuis confuſus et in perpetuo angore ſpiritum aegrum trahens, ac ne verba facerem non reſponſuro veritus? Satius conſultiusque rebar de te cum Deo opt. max., quae nunquam non exaudirentur, quam tecum, quae poterant intercipi et inania cadere, loqui. Et tamen accepiſſe debebas, quas a. d. XI Cal. Sext. dedi, in quibus mentionem Bernardi et Lluydii et Blondellianorum feci: etſi ex neutris, quas III et prid. Cal. expediviſti, id appareat. Sed omnia bene habent, poſtquam miſertus eſt noſtri ὁ ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων καὶ μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, cui χάρις καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Cl. Stegelius hoc ipſum providit, in quo ego maxime aeſtuabam, ne nimio ſanguine hauſto non tam morbum, quam vires ad vincendum morbum tibi minuerent, quae res multis illic noſtratium magna mercede conſtitit. Fac ſalutes eum meo nomine quam humaniſſime, non modo tanquam civem et amicum, ſed tanquam ſecundum coeleſte numen σωτῆρα καὶ Διὸς ἄγγελον. Laudo etiam ſedulitatem et nutricium optimae matronae hoſpitae tuae, et ut ſuae pietatis praemia ferat ampliſſima, precor. Sed

quia jam pedibus te portas tuis (etſi tertio non tuo et impari videaris uti) cave transverſum digitum in publicum exeas aut commentando te fatiges, niſi plane confirmatus. De ſumptibus εὔθυμος γένοιο. Non ſine ſacris haereditas. Et ideo genium ſaepe fraudavimus, ut per duriora tempora ſustineremus. Tu modo curis nunc omnibus nuntium remitte, ut amiſſum corpus recipias; dein vive, ut ſolitus, ita tamen, ne injuſtiorem faſcem, quam valetudo ferat, humeris imponas. Si Cadomum ſcribes, da operam, ut acre verum mitiſſimis verbis temperes: praeſtat bonum virum, licet minus ſubtilem, amicum quam inimicum reddere. In meo Caſaubono eſt, *biduo prius, quum rus eſſet profectus*, eodem ſenſu, quem tu facis. De Apega nihil habeo dicere. Faſciculus ab Orthio miſſus quin dudum ſit in Gallia, non dubito: ſed utrum ad praebitorem tuum an vetus hoſpitium deſtinatus ſit, non memini; nec reſciſcere poſſum, antequam Orthius, quem Brunsvicenſis ignavia ad ſpectaculum ſui traxit, domum redierit. In duro janitore unum metuo, ne injuria offenſus oderit magisque noceat. Non tamen veto te ab illuſtri Capelano conſilium petere. Dic quod verum eſt, non poſſe te capere, quî res tam abſurda homini venerit in mentem. Si Maninae Carpetanorum aut Byzantii hoc audiretur, excuſatum fore, prorſus enim ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσιν eſſe, indignam divino et glorioſiſſimo rege, indignam Principe miniſtro tanto literarum patrono, indignam politiſſima gente, indignam matre ſtudiorum Lutetia. An qui tantos theſauros quotannis erogat in ſtudioſos ſine discrimine nationum, eum bibliothecam peregrinis claudere? unde nihil a quoquam mortalium aut ubicumque locorum proferri poſſit,

quod non ſit cum gloria Domini et laude cuſtodis conjunctum. Quid ſi talis ſit auctor, quem Franci faſtidiant ipſi, et nemo ſua opera dignetur? Haec ita cum viro ſapientiſſimo et nobis benevolentiſſimo communices velim, ut, ſi judicet ille praeſtare non moveri Camarinam illam et remedio plus ineſſe periculi quam malo ob gratiam hominis, ſileas et aequo animo feras unius deſiderii inopiam. Soror libertatem tuam non degenerat. De indebito, nihil adhuc: interim matertera tua ſemel iterumque pullos gallinaceos miſit quaſi interuſurium. Ὁ *μουσοπόλος* Batavus in Anglia peregrinatur. Meignero perſolvi 59 flor. quos G. Langermanno deberi ajebat, 9. Julii, de quo forte non male feceris, ſi ipſum G. per cauſam ſalutandi monueris. Vale et verum praeſta illud Menandri: *Μακάριόν ἐστιν υἱὸν εὔτακτον τρέφειν.* Lugduni Nonis Sextil. anno *τῆς χριστογονίας* 1671.

XXXIII.

A Monſieur
Monſieur Gronovius
chez Monſ. Frederic Micheelſen chez Monſ. Pettevin apothecaire au faubourg St. Germain.

A Paris.

Pater filio S. P.

Ego vero minimum te iſtic hiematurum putabam, ut et comitatus ſplendorem videres et uſum, ac peritiam ſermonis confirmares. An dubium eſt, quam tenuem paraſti linguae conſuetudinem, ſi tam celeriter intermittatur, nihilo fidelius haeſuram tibi, quam ſi in ipſa Lethes

aqua eam ſcripſiſſes? Et neſcis, num quid aliquando prodeſſe tibi poſſit iſtos homines et magis pluresque noſſe et magis pluribusque te dediſſe noſcendum. Sed et Italicae linguae aliquid interea temporis operaeque te impertiri vellem, ne ingrediaris eas terras, priusquam incolas appellare poſſis. Verum tu, ſpe una, quam tibi nimis et ſpecioſam et certam propoſuiſti, decolante, odiſti locum, unde bis ego non niſi invitiſſimus ac propemodum flens olim abstrahebar. Vide igitur, ut bene poſueris calculos et ratio tibi conſilii conſtet. Quam utcumque parum capiam, tamen deſiderio tuo, ſi perſeveras, non repugnabo, et agam cum Plaïs, ut praeſtent tibi Florentiae, quod nunc Lutetiae. Neque impediam, quo minus exigas, quod ſtatuis, viaticum. Scis anguſtìas noſtras non multum patere: quod poterit tamen et juſtum eſt, non negabitur vobis. Sortem interim forte neceſſe eſt, qualis eſt, nos ferre, nec de illa extendenda cogitare: ſed haec ſi non minuitur, *Θεοῦ ἀντιστηρίζοντος* ſatis ſtamus. Nam lucella, quae quondam, nec adfectare fas per ſeneſcentis corporis torporem, deſertorem animi, nec conſequi per mutationem temporum. Sed hanc mihi permitte curam, tu unum nava, ut, quod animo majore quam viribus datur, diligenter et prudenter impendas. Slegelio, quod eſt apud me Silvianarum disputationum, colligam, et in mundo erit. De Gelliis Mazarinianis ne ſis ſollicitus: fucum enim nobis factum cenſeo, nec ab Aldo quicquam 1469 editum, qui tum aut erat, ubi *non nata jacent*, aut equitabat in arundine longa. Sed Tornaeſianum codicem appellant Lambecius et Thyſius, et locupletior utroque teſtis Fr. Juretus ad Symm. 1, ep. 7, adductis Gellii verbis ex 17, 9. Eo modo, inquit, anti-

quus et MS. codex Tornaesii, ut ille fatetur in sua editione. Vide, quaeso, an sit istud exemplar inter minores Lugdunenses 1515, 1546, 1550, 1587, et num quid sufferti tinniat. Vale et tibi nobisque Deum et Christum ejus precibus indefessis propitia. Lugduni a. d. XIII. Cal. Septemb. 1671.

XXXIV.

A Monsieur
Monsieur Gronovius
chez Monf. Frederic Micheelsen rue St. Margarite chez Monf. Pettevin apothecaire au Faubourg St. Germain
A Paris.

Pater filio peramato S. P.

Slegelius opportune salvus adfuit; depositum utrumque reddidit; quod me penes erat Silvianorum, accepit; hospitium oblatum recusavit, quod sibi horam intra conscendendum diceret. Hoc nudius octavus scisses, nisi me impedissent hospites, Trajecto quidem grati et suaves, sed ille redux e Britonibus ita discessit, ut diu coercitum venenum in me rursus effunderet. Hoc tamen parum me afficit, qui jamdudum certum habeo, dum vivet, similem fore sui. Orthium per Faithium de fasciculo appellavi. Audieram in Cheruscos profectum: an redisset, ignorabam. Et primum quidem domo etiam aberat: dein salutatus lecta epistola, in qua nomen utriusque diversitoris, quo illic usus es, pollicitus est, cis paucos dies desiderio tuo satisfactum iri. De Cnido *ηὐστοχησας* apud utrumque. *Βάλλ' οὕτως*. Nec nequicquam dubitas de altero Polybii loco.

Vertendum enim: *Quis enim ista causas existimet, ante quae* (ὧν πρότερον, vel quae priusquam exstitere) *Alexander multa, nec pauca Philippus etiam vivens egerant palam comparaverantque belli cum Persis habendi causa. Similiter Aetoli cum Romanis ante adventum Antiochi.* Ταύτας αἰτίας accipiendum, quasi esset, ταῦτα αἰτίας ὑπάρχειν, elegantia Graecis et Latinis usitata, de qua ad Sen. Cons. Marc. cap. 19. Neque aliter illud σεβασμιώτατον: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου· pro οὗτος scil. ὁ ἄρτος. Τὸν δεῖνα mihi de indole tua et industria gratulatum esse meminisse poteras ex ipsius epistola, quam hic, opinor, vidisti. Itaque merita ei humanitate respondi. Quia decresti satis ἐν Καρὶ te πείρας fecisse, age sane, cum Deo benevolente collige sarcinulas, et eo te confer, ubi speras, Musarum aedituentes non tam καρχάρους nec barbaros fore. De viatico, quanto sit opus, melius illic rationem inibis aut ex aliquo ejus viae gnaro explorabis. Pecuniae ut multum feras, non suaserim, sed literulas collybisticas per celebriora, quae transibis, oppida, usque ad illud, ubi sedem destinas. Itaque fac in antecessum omne iter descriptum habeas, et agas cum praebitoribus, si, qua necesse et commodum erit, eis te possint instruere. Ego jam cum Plaïo locutus sum, et promisit ille mihi, per ipsum cursorem, qui portabit has tibi, se daturum mandata, ut illi, prout poterunt, tibi serviant; et sicubi non poterunt, aliter tibi consulturum. Non longe distat Florentia Portus Herculis Liburni, vulgo Livorno. ibi se habere perpetuum commercium. Francius Amstelodami apud suos desedit, nondum vidit me. Scripturam nummorum et lapidum nobis antiquissimam censeo esse debere, ubi defendi potest nec manifeste

vitium apparet. Deus tecum cum Chriſto ſuo et Sancto Spiritu, hoc eſt εἷς ὁ Ὤν. Lugd. a. d. IV. Id. Septembr. ante quem die quarto natalem agebam ſexageſimum.

Non te gravis uret illic impletarum ſarcina quarundam chartarum, quibus in concurſatione, quam moliris, carere potes, quibusque huc miſſis et apud nos depoſitis (ut Anglia relicta feciſti) ambules expeditior? Vide, et quod commodiſſimum videbitur, conſule.

XXXV.

A Monſieur
Monſieur Jacques Gronovius

chez Monſ. Buiſſon maiſtre d'hoſtel de Mr. d'Aligre rue Bailleu dans le petit hoſtel de Mr. Schomberg ou chez Mr. Frederic Michelſen rue St. Margarite chez Mr. Pettevin apothecaire au faubourg St. Germain

par amy que Dieu veuille conduire

A Paris.

Pater filio S. P.

Curatae ſunt, opinor, quas ante dies quatuordecim ad te dedi. Ex eo haud ignoras Slegelium et me officio mutuo functos, hoc eſt, me ab illo Gellium, illum a me Silviana accepiſſe. Orthium ſpem dediſſe, te libros haud diu deſideraturum. me liberum tibi feciſſe, manere velles an migrare, et rationem iter inſtruendi commonſtraſſe. Ad eas per curſorem, qui nuperrimas attulit, reſponſum exſpectabam, eo avidius, quia ob tuam deliberationem momenti nonnullius et ego animi pendeo. Quia nihil apparebat, conſtitui et ipſe differre, quod erat argumenti, eo usque dum

per intervenientes tuas augeretur. Mutavit conſilium patruelis tuus obortus ante exſpectatum et viſus multo elegantior exſpectato, dignusque quem ſperata fama forma pecunia(?)honeſta ſperet. Curam igitur ei et operam, ut inter vos decet, impertieris. A Falanio et a Wichelio chartas accepi. Sed τὸν δεῖνα, qui minorem faſciculum dedit (ſi ſuſpicaris aut reſciſcere potes, qui ſit,) fac ſciat, me id genus illi conquirendarum, habendarum, mittendarum gratiam facere. Non venit in mentem, quorum conſederit arvis. Satis eſt τῶν παραβόλων jocularia mala ultro arceſſentium et caput opponere quam dictum perdere praeoptantium. ne ille hunc numerum augeat. Periculoſum eſt, venena tractare, quamvis nemini miſceas. Quo pignore certum habet, inter ipſos, qui talia ſpargunt, non obrepere ποταγωγίδην aut ὠτακουστὴν; Caveat immo malo, et ne aurem quidem commodet irritantibus, qui τῇ μαχαίρᾳ ſolent ἀντιμυκτηρίσαι. Meminiſti, quae fuga diſſiparit forte temere audientes. Sub terra tonuiſſe putes? Bonum igitur factum, ut haec moneas, ſi modo bene noſti hominem, quod vehementer ambigo. arduum enim. Non peribunt tamen, quae illi per te praecipio: nam et te ſicut adhuc feciſti, exemplum iſtud vitare et laſciviam procul habere cupio. Cl. Bullialdo multum debeo, cum tam liberaliter τῆς λογαρικῆς copiam facit, ſed puto me habere ἀρτίαν, ὁλόκληρον, nam τῷ Τέλος σὺν Θεῷ τῶν λιτρισμῶν ſubjungitur et περὶ τῶν λεπτῶν τῆς λίτρας. Si jus illi eſſet in dominicis ſcriniis, ut erat, cum ego ibi peregrinabar, nihil eſſet, quod quereris. Jube ſalvere meo nomine plurimum et talium tot virorum jucundiſſima conſuetudine unius, non malitiam aut invidiam, ſed ἀπαιδευσίαν omnia tuta metuentem leva et ſolare. Macrobia-

num heroem in luminis oras reductum gaudeo. Si quotidie talem lineam duxeris, brevi eris Apelles. Ἔῤῥωσο καὶ πρῶτα Θεὸν τίμα. Lugduni a. d. VII. Cal. Octobr. A. C. CIↃDCLXXI.

XXXVI.

A Monſieur
Monſieur Gronovius,

chez Monſ. Frederic Michelſen rue St. Margarite chez Monſ. Pettevin apothecaire au fauxbourg St. Germain port. A Paris.

Pater filio S. P.

Ergo nondum videras patruelem prid. Nonas Octobres, quo die dediſti, quas accepi nudius tertius? At ille prid. Cal. hinc disceſſerat recta ad vos. Humanitate iſta cuiquam de viatico tuo impertiendi, quamcumque fidem dent, in poſterum, jubeo, abstineas. Equidem hoc perditum duco, plane, ut ille ait, non obnoxie. Ubi iſtum terrae filium requiram? Satin' indulgendo aliis et male miſerendo ingratorum periimus ipſi, certe nobis aerumnas accumulavimus? Poſthac ſi quid pudoris habes et meam in te liberalitatem non vis claudere, nec cautiones hujusmodi mihi mittas, nec ſciat omnino quisquam, tibi vel tantillum ſupereſſe, quod cum alio communicare poſſis. Quem vaſis collectis ſalutaſti, vereor, ut nequidquam coelum mutet, utpote, quae illic moleſta ſentit, ubique inventurus, immo ipſe quovis ſecum portans: neque aliud illi conſilium, quam ut ſemet ipſe effugiat, hoc eſt, animum ac mores mutet. In eis, quas Wichelius attulit, (ob quas ver-

ſo nomine ſcis de quo fabula nuper tibi narrata fuerit) ambigere etiam videbare: ſed quia ſatietas te et taedium praeſentium percepit, i, ſequere Italiam cum Deo benevolente. Mandata quid me poſcis, cum non ignores, quibuscum commercium eſt aut fuerit mihi, eſſe oppido paucos? Florentiae tamen Carolum Datium, Lauren. Magalottium, Pantiaticum, Nic. Stenonis, viros nobiles et humanitate dubium an eruditione praeſtantiores, quorum ſuffragatione niſi patebit maximi Principis literatus theſaurus tibi, nihil in me opis. Octav. Ferrarium, ſi et Patavium accedes; ſi Veronam, Otholinum et Angelum Floratum; ſi Genuam, Angelicum Aproſium Vintimigliam; in domina urbe Athanaſium Kircherum, ubi nec injuſtos, opinor, reperies Gradium et Falconerium, quamquam adhuc nullo officio meam illis obſervantiam probare potuerim. Et merito quidem obeuntur tot illuſtria oppida, tentanturque et quae iſtic et quae Venetiis atque inprimis Mediolani bibliothecae: ſed unde tibi in illas aditus? ne addam, unde ſustinebimus impendia? Lucella minime procedunt, ut antehac: tum minantur indies ſe correpturos fructum creditae publico pecuniae; et jam quadamtenus reciderunt. Ego tamen, quod potero, non demam tibi: modo diligenter eroges, nec tam prodige, ut iſtas ſedecim uncias. Sed fortaſſis haec cura ſupervacanea eſt, et ſtomachus iſte quo feſtinantius inde te auferet, eo etiam celerius domum reducet. nam ſi hos obviae comitatis et omnem ſtatim ſenſum effundentes homines ferre non potuiſti, quid facies deprehenſus ſub lentis maxillis tectorum, ſeverorum, pauci et meditati ſermonis, nec niſi diu multumque ſpectatis et faſtum paſſis conciliari ſolitorum? Utcumque cadat, ſis modo ſalvus

et honeſtus, citius an tardius reviſas nos, parum intereſt, et cupio omnia, quae vis. Deus opt. max. per redemptorem noſtrum enixe rogatus, te regat ſpiritu ſuo, et tibi comites adſignet angelos cuſtodes. Tu quoque, quomodocumque ſe habeant caetera, fac aſſiduus ſis in precibus, et quicquid ages, quicquid moliere, et illum et illos coram atque in te intentos eſſe cogites, nec volens ſciensque cujusquam delicti tibi gratiam facias. Vale *προσφιλέστατε καὶ εὐημερῶν διατέλει.* Lugduni Idib. Octobr. CIↃDCLXXI.

In Tuſcis pluteo 61, codice 9 et 21 invenies Polybium tuum. Somnium Scipionis Graece verſum plut. 80, cod. 24. Arriani Expeditionem 70, 1 et 9 et 24 et 28. T. Livii bellum Hannibalicum plut. 63 vetuſti et optimi exemplaris, ex quo excerptas varias usque ad lib. 2. cap. 6. *objectis ſcutis arcuere*, communicavit mecum Gudius; ego vero totum acerbiſſima intentione collatum vellem. Plut. 59, 45 et 86, 25, Dionyſii Thracis *τὰ Γραμματικὰ* omnium antiquiſſimi ejus generis, quae magno ambitu tota vita promiſit Mauſſacus. 86, 3 Marinum de vita Procli, multo emendatiorem et auctiorem, quam ſunt vulgati. Nec Apulejum plut. 68 ita diligenter a Lindenbrogiis collatum Joſ. Mercerus putavit, ut non dignus eſſet, qui rurſus contenderetur cum edito. Jam de menſuris et ponderibus plut. 7. 19. 57, 42. 60, 16. 75, 6 et 13. 86, 16. quae ſi differunt, omnia deſcribi velim. Mediolani ajunt Auguſtam Hiſtoriam Spartiani, Lampridii etc. longe eſſe excellentiſſimam. Audivi et Romae praedicari Gloſſas, quibus Heiderbergae uſus Salmaſius, qui et maximi eas fecerit etc.

Has complicabam, cum mihi redduntur perbreves, quibus illuſtris Capelani ad Hogerſium

amplissimum incluseras, haud scio unde allatas; nam sestertium nummum vecturam exegerat puella, quae portaverat. Illas statim curavi. Male sit τῷ καρχαρόδοντι, qui gratia, qua indignus est, tam improbe utitur. Consilium tuum agendi cum Cl. Bigoto haud improbo. iterum vale.

XXXVII.

A Monsieur
Monsieur Gronovius
chez Monf. Frederic Micheelsen rue Ste Margarite chez Monf. Pettevin Apothecaire au fauxbourg St. Germain
port. A Paris.

Pater filio S. P.

Mullenhofius Macrobium reddidit, nummos intra dies quatuordecim promisit. Exspecto, ut satisfaciat, et, si manserit in fide, id in lucro ponam. At tu de quovis alio in posterum tam bene sperare et censum vel tuum vel patris jactare noli. Ῥαπιζόμενον ἐκβάλλεσθαι quotidianum Romae in mimis spectaculum. Cicero pro Caelio, 27. *Mimi ergo est jam exitus, non fabulae, in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant, aulaeum tollitur.* Fugit, sed non nisi bene ῥαπισθείς. Juvenalis Sat. 5. *pulsandum vertice raso Praebebis quandoque caput.* Martialis 2. epigr. 72. *quanto non ipse Latinus Vilia panniculi percutit ora sono.* Et. 5, 63. *dignus eras alapis, Mariane, Latini.* Tertullianus de Spectac. 35. 2. *Placebit et ille, qui vultus suos novacula mutat infidelis erga faciem suam, quam insuper contumeliis alaparum sic objicit* etc. Arno-

bius lib. 7. *Delectantur, ut res eſt, ſtupidorum capitibus raſis, ſalpictarum ſonitu atque plauſu, factis et dictis turpibus.* Quem locum attigi ad Plinium 35. 2. Hinc illud *os praebere contumeliis.* Non dubito, quin huc reſpexerit Marcellus, et facile crediderim, inter tot quoque Graecorum ludicra id frequentatum et ab his accepiſſe Romanos, quod videtur ſignificare locus Diogenis. De lacuna Polybii nihil video promptius, quam ut agas cum aliquo librariorum, quicum iſthic noſtratibus illis commercium eſt. Si ſedet non hiernare, ubi es, (nec tutum id credi ſinunt, quae undique nobis minantur) effuge in Allobrogas aut Helvetios, et ibi ſubſiſte interim, ne in Alpibus tranſeundis tali tempore labores. Baſileae habent aliquid Mſſ., cujus forte copiam tibi faciet humanitas Buxtorfii. Bernae Bongarſianam, membranis, ut ajunt, locupletem: ſed haud ſcio, num quis in eam aditus. Tiguri, opinor, doctus ille atque elegans Theologus Heideggerus, cui dicatus Agathemeros, viam monſtrabit. Etiam eadem in urbe habitat Drelinçourtius medicus noſtri frater, quicum hic mihi juncta amicitia eſt. De viatico, bono ſis animo. Quamdiu nobis erit (quod hodie legebam inter prima penſa diei *Βασιλ. γ. κεφ. ιζ'. στιχ. ιβ'*) δρὰξ ἀλεύρου ἐν τῇ ὑδρίᾳ καὶ ὀλίγον ἔλαιον ἐν τῷ καψάκῃ, quod ſuppeditabit, tecum communicabimus. Soror tua e Saliis per tres amplius menſes vana ſpe lactata rediit; de reſtituendo indebito ſomnium: ipſe ille, qui apud te tam aequum ſe ſimulavit, ei aperte dixit, ejus, quod ſocer dediſſet, repetitionem ſibi juſtam non videri: ſe tamen, ſi alii cohaeredes indulgeant, non obnixurum. Cui talis eſt in minima ſumma, qualis erit in maxima? Ego guſtum recuperare nequeo, et pleraſque

noctes duco inſomnes. Itaque langueo identidem, et omnium rerum, non tantum libellorum, faſtidium oboritur. Nudius etiam tertius impetum tertianae a quinta veſpertina uſque ad decimam expertus ſum. Operas quoque igitur, quod Tacitum attinet, hac de cauſa jam hebdomadem feriari juſſi, nunc magis feſtinantes, quia propius metam proſpiciunt. Et quia pars melior anni quaſſato huic corpori nihil profuit, in reliquo ſpem exiguam habeo. *Γενηθήτω δὲ τὸ θέλημα τοῦ κυρίου, ἕως οὗ ἥκει ἡ ὦρα (ὥρα) αὐτοῦ.* De Polybio Scaligeri, ſimul atque transtulerit e Sueonibus bibliothecam Heinſius. Cl. Bigotio non ingratum fore adventum tuum ſcio ex literis, quas antehac ad Heinſium ſcripſit. Vale *καὶ τῆς τοῦ γονέος (γονέως) εὐχῆς ἄξια φρόνει.* Lugduni a. d. IV. Idus Novemb. MDCLXXI.

Patruelem tuum adhuc exſpectamus. Hugenius Arenacenſis junior, Francius, Crucius, Richius te plurimum ſalvere jubent.

(In ſchedula majori) T. Livius Jo. Antonii Campani eſt, niſi fallor, in regia bibliotheca.

Ego vidi nunquam. interim haec quoque editio, quam temporis, loci, librarii, dedicationis (nec niſi nomen intelligo ejus cui inſcripta eſt) notam praeferat, ſcire velim.

Cl. Salmaſ. ad Sol. 770. Auctor qui ſub Aethici nomine vulgatur etc. Ita legendus ille locus ex vetuſtiſſ. noſtro codice et Thuaneo, qui Cosmographiam illam non Aethico, ſed Julio Oratori tribuit, cujus meminit Caſſiodorus. Nam Aethicus alius eſt Hiſtricus Sophiſta, quem de Graeco translatum ab Hieronymo et nondum editum vetus idem liber habet ex bibliotheca Thuanea. Mart. Opitius ad Rhythmum Germanicum de

Annone (?) pag. 20. Hiſter ſive Iſter Aethici cognomento, ſcriptor antiquiſſimus, cujus Edicta Cosmographica, e Graeco ab Hieronymo ſaltuatim verſa, in Thuanea bibliotheca Lutetiae, penes me quoque exſtant, litera ſane antiquiſſima. De Hieronymo ſi alia deſint, dubitare nos vetat Hrabanus Maurus in libello de inventione linguarum.

Potes videre quid ſit? et an tibi uſui eſſe poſſit. Quem publicatum habemus Aethicum, adhaeret Dionyſio, Melae, Solino Hen. Stephan.

(In ſchedula min.) Hodie Plaïs etiam fratribus ſatifeci 540 fl. Hollandicis.

Mantua Carpetanorum Madrit en Eſpagne. Quid ſi repente ſigna canant? Poterisne decedere cum legato et reverti domum, an te ſubducere Coloniam Allobrogum?

P o ſt ſ c r i p t u m.

Variis impeditus muneris mei laboribus uberiores, quas ad frontem libelli promiſi, notas dare non potui. Spero tamen, pauculas hasce epiſtolas literarum fautoribus adeo jucundas fore, ut mox et plures deſiderentur, quas porrigere non intermittam, et quibus annectere notas reſiduas ſincere promitto. Vale, Lector benevole! et primulis hisce benigne fave!

H.

Tacitus 26

Virgil 34

Varro Atacini versus de locis p. 42

Quintilian 44

Apuleius 47. 73

Livius 49. 73

Gellius 54, 58. 66

Vegetius 58

Polybius 59 [4. 64. 67] 76.

Anonymous lector Aug. 73

Dionysius Thrax 73

Marinus vita Procli 73

